


5. 6. 48.

Digitized by Google

Fel. Calderini

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

ORATIONES

SEBASTIANI FRANZONI

O L I M

IN SEMINARIO PATAVINO

Præfecti Studiorum,

N U N C

COLLEGII AB IPSO INSTITUTI

MODERATORIS.



PATAVII, MDCCXXXVII.

Typis Jo. Baptiſtæ Conzatti.

SUPERIORUM PERMISSU.



Digitized by Google

Digitized by Google

LAURENTIO TEUPOLO EQUITI, AC D. MARCI PROCURATORI EX ORDINE TRIUM-VIRUM GYMNASII PATAVINI

SEBASTIANUS FRANZONUS F.



Uemadmodum nihil quondam antiquius mihi fuit, quam ut Joannis Franciſci Cardinalis Barbadici juſſu de optimis huma-

Digitized by Google

nitatis Studiis in litteratissima Civitate tandiu publice dicerem, quandiu ille Patavinæ Ecclesiæ Episcopus præfuisset; ita nunc nihil magis e sententia obtingere mihi posse puto, quam ut industriæ meæ conatus, qualescunque demum sint, editos antea, sed passim dispersos in unum colligam quasi corpus, Tibique præsertim, SENATOR AMPLISSIME, instituam. Ex quo enim mihi significatum est, huic meæ justissimæ voluntati, Tuum immortale nomen ad ornamentum splendoremque præoptanti, benigne Te annuere, & qua es animi magnitudine,

in pa-

patrocinio etiam favere Tuo; tanta hisce lucubrationibus honoris accessio est fieri mihi visa, ut a veritate minime aberrem, si dicam, præteritorum me laborum fructum jam uberrimum percepisse. Avebat jampridem animus erga Principem Eminentissimum, optime de nobis meritum, obstricti pectoris argumenta certa proferre, ejusque memoriam hoc quoque litterarum genere commendatam, in omnem, quantum per me liceret, posteritatem extendere; Tuque inter ceteros, SENATOR ORNATISSIME, multis magnisque de caussis, in quem potissimum intuerer, & cui

opus hoc illius olim cuſum auſpiciis nuncupare vellem, mihi ante oculos obverſabaris. Sed qui ego modicæ facundiæ, & eruditionis homo tantum ferrem onus, quantum mihi imponere ipſe ſentiebam, ſi ſummas, quibus late fulges, omnes virtutes Tuas, ſi publicam domi foriſque rem a Te feliciſſime ſemper adminiſtratam aggrederer oratione perſequi? Tua illa ſeſe mihi exquiſita offerebat ſapientia, quæ patrio primum hauſta cœlo, & avitis aucta exemplis, per exteros deinde circumlata populos, difficillimis negotiis expediendis, & majeſtate ubique Veneta

re-

retinenda adeo emicuit, ut ab iis quoque, qui nihil ferme commendare ſolent, aut ſuſpicere, debitam Tibi tamen Viri omni virtutum genere cumulatiſſimi laudem & admirationem eliceret. Quid porro illæ ſplendidæ, magnificæ, multipliceſque legationes, quas ad maximos Europæ Principes nullo temporis interpoſito ſpatio deinceps obiviſti? quantam Tibi ſolertiæ, providentiæ, dexteritatis opinionem peperere? ut expreſſa in Te uno ad ſempiternam Venetæ amplitudinis commendationem conſilii, fidei, gravitatis imago penitus cerneretur. Cum in ingentia, & no-

bis propiora hæc decora aciem mentis intenderem, etsi eloquentia valerem plurimum, & modestia fineret Tua, me ab incœpto tamen jure ac merito deterrebant. Itaque diu ancipitem, hærentemque, num ad Te, talem, ac tantum hoc tenui libello accederem, ad recipiendos tandem animos, pudoremque ablegandum Tua incomparabilis humanitas impulit. Tua nimirum facilitas, quæ cum hoc dignitatis fastigio mirandum in modum conjungitur, me dubium, ac trepidantem confirmavit, docuitque, quam litterariæ rei procurandæ personam jamdiu rara cum fama susti-


sti-

ſtines, in diſciplinas omnes, earumque cultores ita Te impendere, ut homines etiam mediocres ad bonarum artium poſſeſſionem pro virili nitentes, in Tuam clientelam non renuas comiter aſciſcere, Tuoque valido ſemper præſidio fovere. Vides, SENATOR AMPLISSIME, quæ me cauſſæ præſertim eo adduxerint, ut inter Venetos Proceres Te eximium lumen compellare auſus fuerim, & a graviſſimis rebus ad hæc devocare tantiſper; quibus cum illæ quoque potiſſimæ adjungantur, me hiſce orationibus Barbadicæ Familiæ laudes identidem interſerere, quacum Tibi non tam

ſanguinis affinitas, quam virtutum ſimilitudo intercedit, neque huic facere quicquam poſſe gratius, quam ſi præſenti opuſculo Tuum grande nomen præfigam; præclare mecum actum iri exiſtimabo, ſi hæc, qualiacunque ſint, perpetua meæ obſervantiæ cultuſque erga Patronum Auſpicemque fauſtiſſimum eſſe monumenta patiare. Faxint ſuperi, ut vivas feliciſſime, qui non minus patriæ, quam litterarum vivis felicitati. Vale.

Patavio. Pridie Idus Julii. MDCCXXXVII.

AD LECTOREM



Am tum mecum ipse decreveram, cum Seminarii Patavini moderandorum studiorum curam aliis relinquerem, Superis nos in tutiora vocantibus, a publica prorsus luce tum dicendo, tum scribendo abstinere imposterum; quod scopuloso illo, & fere infesto veluti pelago non omnino improspera, ut videbatur,

usus

Digitized by Google

usus antea fortuna, non satis prudentis esse viri arbitrarer, novo me rursus periculo committere, & hominum ingenia ad carpendum maxime prona lacessere; tantoque hoc firmius manebat animo, quod quæ habitæ a me quotannis sunt orationes, & evulgatæ, illæ ipsæ si una conjunctæ iterum ederentur, in legentium oculos magis incurrerent, & si quid in iis displiceret, ut morosis præsertim hominibus displicerent non pauca, censorium magis eorum supercilium in se commoverent. Verum progrediente tempore non ita suo cuilibet esse utendum semper judicio perspexi, ut non alieno aliquando parendum sit. Neque enim, qui me ad famam rursus

ten-

tentandam cohortabantur, mihi ajebant integrum esse in proposito permanere, qui locum quidem commutaverim, sed idem tamen docendi institutum retinuerim; immo tanto mihi ad oratorium opus esse vehementius connitendum, quanto qui fidei nostræ concrediti sunt adolescentes, orti loco nobili, & in optimam patriæ suæ spem educati, firmiore præsidio indigeant, quo per asperum & longum ad eloquentiam iter opportune fulciantur. Præsto quidem illis dictitabant esse Tullios, Livios, Nepotes, unde linguæ latinæ candorem eruerent, & solidum, germanumque dicendi genus edocerentur: sed præter hosce aureæ ætatis Scriptores peculiari aliquo,

&

& quaſi domeſtico duce opus eſſe, qui voce & ſcripto ipſis praeiret, qui non ſolum elegantiſſimos interpretaretur Auctores, & difficillimos locos explanaret, ſed qui aliquid etiam ipſe elucubrando, & conando fere ſimilia, qualia inibi cerneret, ſtudioſiſſimos ita adoleſcentes ad illorum imitationem magis inflammaret. Ego equidem de me tantum polliceri non auſim, quantum alii jure fortaſſis, ac merito de ſe pollicentur, qui cum Eloquentiſſimi vulgo habeantur, & promi condi, ut ita dicam, latinitatis ſint, poſſunt, qui ipſorum veſtigiis proxime inſiſtunt, ad genuinam, minimeque fucatam facundiam facillime perducere: Attamen ſi perpetua librorum tracta-

cta-

X

ctatione , neque intermisso unquam stylo pro ingenii mei mediocritate quicquam potui proficere; non inutilem, neque supervacuam honestissimæ me juventuti spero navaturum operam, qui per duos & viginti annos, in florentissimo olim Musarum domicilio, partim humanas litteras profitendo, partim omnium disciplinarum regendo studia, non modo vividam ætatem detrivi, sed prope etiam consenui. Etsi vero non is est demum secutus fructus, quem exantlati a nobis labores sperare non injuria videbantur; me tamen eorum omnium, qui me illo in munere præcesserunt, exempla valde solantur, qui cum eadem ferme, ac nos, fortuna usi essent, in lit-

te-

terario nihilo minus curriculo naviter perstiterunt, contenti ea, quæ ingenuorum hominum vera merces est, recte factorum conscientia, ea contenti existimatione, quam non temere conceptam augere viri probi solent, si quem vident constanti firmoque gradu in priore vita consistere, & impavide semidocta turba rumusculos contemnere. Ad hæc sane gravia accedebat illud ponderis non exigui, oportuisse omnino, ut si non ingenii nostri, quod modicum a natura accepimus, at diligentiæ saltem, ac sedulitatis aliqua monumenta proderentur, nequis forte putaret nimium credulus, per ea tempora, quibus Seminarii Studiis præfuimus, po-

litio-

litiores jacuiſſe doctrinas, & priſtinum illum ad arripiendas liberales artes animorum ardorem per ignaviam, aut negligentiam refrixiſſe. Hos porro ſtimulos cum mihi, varias rerum vices evolventi, prudentes homines ſubderent, me mei etiam in Præſulem ſpectatiſſimum, Joannem Franciſcum Cardinalem Barbadicum officii commonebant, cujus inſignis in omnibus magnificentia, & in optimas diſciplinas perſpectus amor, & cura nullo modo a nobis poterat ſilentio præteriri: qui utinam, quæ deſignaverat mente, re etiam ipſa pro ſua quadam ſingulari animi excelſitate perficere potuiſſet; multo plura profecto ejus liberalitatis, & munifi-

cen-

centiæ erga humanitatis ſtudia pignora nunc haberemus. Sed de illo Principe in oratione, quam, cum ejus exequiæ celebrarentur in Æde Cathedrali, infinita hominum confluente multitudine, publice recitavimus. Cui quidem orationi viſum eſt non abſonum alteram addere, quæ a me quondam eſt habita, cum Franciſco Doleonio, Canonico, & Vicario Generali Eminentiſſimi Georgii Cornelii, immortalis nominis Epiſcopi, Seminarium grati animi cauſſa parentaret. Quamquam hæc ipſa, quæ conſulto in lucem iterum producimus, pro certo ſcio, non æque ab omnibus acceptum iri, atque Scriptores cupiunt. Ego tamen non is ſum, qui quam poteſta-

tem

tem in libros omnes jure suo semper homines habuere, ut summus litteraturæ arbiter, aut concedere, aut demere velim; ut quisque enim affectus est, ita fere judicat; iis quidem, qui non probant, nisi sua, aut quæ ad ipsos pertinere aliquo modo possunt, neque hæc, neque alia quæpiam, politissima licet, & ad omnem elegantiam, & suavitatem exculta placebunt unquam. Magnum mihi operæ pretium videbor tulisse, si hosce conatus meos Judex humanissimus æqui bonique faciat. Quinimmo pergam alacrior una cum fratre, novum jam stadium ingressus, pulverem non indecorum colligere, precatus enixe Superos, ut quoniam a calce ad

car-

Digitized by Google

carceres, decurso prope spatio, lubenti securoque animo regressi sumus, liceat in suscepta provincia cum commissa nobis juventutis emolumento diutissime versari. Cura, ut valeas, & nos ames, & nostra.



NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Antonio Gerolamo Cagnacci Inquisitore di Padova nel Libro intitolato: *Orationes Sebastiani Franzoni olim in Seminario Patavino Præfecti Studiorum, nunc Collegii ab ipso instituti Moderatoris*: non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gio: Battista Conzatti Stampatore in Padova*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 18. Marzo 1737.

(MICHIEL MOROSINI Cav. Rif.
(
(PIETRO GRIMANI Cav. Pr. Rif.


Agostino Gadaldini Segret.

Alii novum ſibi ipſi ſtudium, ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quæ repertæ ſunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur, atque virtutem, omne tempus, atque ætates ſuas conſumſerunt.

Cic. de Orat. lib. 3. cap. 15.

Digitized by Google

ARGUMENTUM
PRIMÆ ORATIONIS.



Um mihi e solemni Seminarii Patavini instituto proludendi studiis demandata provincia est; lætissimus nuntius attulerat, Joannem Franciscum Cardinalem Barbadicum, quem universa Civitas, in ferventissima vota & preces effusa, poposcerat a Superis, Ecclesiæ Patavinæ Pontificem designatum esse. Etsi autem publicæ lucis periculum, cui primum me committebam, non exiguum rudi præsertim homini, & indiserto metum incutiebat; illa meum tamen mirum in modum recreabat animum cogitatio, fore,

ut eo Auspice, & Judice in arenam primum descenderem, quem litterulæ nostræ tanta propinquitate contingerent, quanta inter Parentem amantissimum, & dulcissimos liberos intercedit. Sed quoniam non sivit fortuna, me illa frui felicitate, quæ mihi omnium maxima fuisset, si coram tanto Principe publice dicendi munus auspicarer: mea certe in eum summa observantia, gratique animi officium postulavit, ut amplissimo jam omnium studiorum nostrorum Patrono, & quem, cum dicerem, præsentem, ac dantem mihi trepido spiritus intueri videbar, hanc, qualisqualis demum sit, lucubrationem instituerem, ejusque valido munitam nomine, in lucem emitterem. Jam hujusce orationis hic scopus, & finis est. Cum humanas litteras eodem in loco jamdiu profiterer, ac forte M. Tullii de Oratore libros meis Auditoribus interpretarer, mihi visum est non incongruum, si ab Antonio, & Crasso excitatam ibi controversiam, num vere dicendi detur

ars,

Digitized by Google

ars, pluribus explicarem. Cum enim ex rebus penitus perspectis, & palam cognitis ars omnis constet, neque ab opinionis arbitrio pendeat; non videtur ulla esse ars Oratoris, ac propterea Doctores Græci, qui ubique Romæ ludum de Rhetorica tunc aperuerant, oleum & operam perdidisse, qui assererent, neminem Eloquentiæ laudem assequi posse, qui non omnia dicendi præcepta probe teneret. Attamen, ut verum fateamur cum Antonio, non ita ars oratoria (quæ aliqua certe esse debet) nobis accipienda est, ut omnis loquendi vis in ea ponatur, quemadmodum nonnulli volebant, neque prorsus ea tota repudianda. Videlicet sapiunt, qui neque omnino præceptis inhærendum esse, neque ab his penitus discedendum putant, sed ita hac in re erudiendos Adolescentes, ut intelligant, ad Eloquentiam consequendam requiri multo majora: parique in culpa esse tum illos, qui, sive oratoriam, sive poeticam facultatem profiteantur, nimium

præceptis utantur, tum illos, qui utriusque facultatis cultores a se omnia artis præsidia ablegent, ut inania, vel etiam noxia.



ORA-



ORATIO
PRIMA.

Ad oratoriam, & poeticam laudem contendenti, tum nimius, tum nullus præceptorum usus impedimento est.



Uam anceps, & lubricum tractet opus; qui ex edito loco publicam lucem dicendo sustinet, etsi jam nihil est, quod ab oratoribus jactetur frequentius, & ad lucubratiunculæ vel tenuissimæ existimationem aliquam compa-

randam passim circumferatur; nemo tamen id melius intelligit, quam qui suo ipse periculo rem tantam primum aggreditur. Quandiu subsellia, de dicentis facultate judicaturi, occupamus, eumque initio statim exalbescere, ac debilitari metu conspicimus, ut hæc trepidatio nostros tangat animos, eosque non leviter turbet; in eam cito tamen opinionem descendimus, ut expositi timoris magnitudinem pro veteri quodam hujusce artis instituto confingi magis, quam ex sincero animi sensu significari putemus. Verum si quando fit, ut ex umbra domestica, in qua tutus delitescebas, in ipsam oratoriam aciem, in medium discrimen, dimicationemque voceris, ibique conjectos in te unum omnium oculos intuearis, quid hominis sis, quam facundus, quam eruditus, curiosissime expectantes; tunc enim vero loci difficultatem fama longe majorem sentis, neque potes, nisi a natura to-

tus

tus ad audendum factus es, tantarum rerum facie non magnopere commoveri. Neque vero ego nescius eram, quanto quisque ante stat ceteris eloquentia, tanto, quæ possunt contingere, ne tum, cum minime oportet, contingant, timere magis; quippe qui non de industria solum, de prudentia, de dictione, quæ maximi momenti sunt, sed de iis etiam, quæ minoris licet, nisi tamen recte præstet, reliqua bona obruunt, de memoria, de gestu, de pronunciatione decernat. Tot, tamque validis ad percellendum pectus concurrentibus caussis, illud me nihilominus in ipsa ingenii mei infirmitate solaretur, si mihi primum oratione cum multitudine congrediendum esset, quæ rimari dicentem non solet, sed externo tantum litterarum colore videtur esse contenta. At cum gravissimam oratoris personam in eo jubear Auditorum consessu suscipere, qui sapientia, & poli-

tiore doctrina constat, ubi e singulis ordinibus eminent disciplinarum, & eloquentiæ clarissima lumina; quam pavide, quam sollicite, quam anxie me in medium decet procedere, non iis instructum virtutibus, quæ oratorem & faciunt, & ornant; stylo vero adeo jejuno & exili, ut vix umbraticæ palæstræ sit satis, nedum in aspectum excultæ bonis artibus civitatis, & ad ineptias excutiendas acutissimæ proferatur? Ergo in tanto curarum æstu, nihil reliqui est, nisi ut vestra me benevolentia complectentes, quid mihi ad hoc publice obeundum munus fuerit animi, ad vos referatis, reputantes, exercitatissimum quemque militem, cum primum in hostem educitur, trepide gladium stringere, neque posse, etiamsi maxime connitatur, latentem virtutem expromere. Quod ego, ut e dulcissimo conspectu vestro, & secunda admurmuratione conjicio, si obtinuero, velitationis magis, quam justæ

justæ pugnæ gratia illud ostendam; unde potissimum fiat, ut præclara alioquin ingenia, quæ in hoc litterario pulvere versantur, si quid soluta, & ligata numeris oratione scribendum sit, nihil, aut certe pauca pariant, quæ ad oratoriam, & poeticam dignitatem assurgant. Duas enim hujusce rei caussas reperio, quod alii omnem utriusque facultatis laudem in præceptis exequendis collocant, neque quicquam præterea audent; alii contrariam omnino rationem secuti, se demum posse putant in his studiis excellere, si omnia prorsus præcepta ablegarint. Utrumque malum, quod fere adolescentum est, non raro etiam ætatis jam solidæ, tum eorum, qui ut accuratissimi videantur, ne latum quidem unguem a regulis discedunt, tum eorum, qui satis, ut sibi videntur, a natura ad dicendum comparati, artis subsidia rejiciunt, magna animi cura cavendum est, &, ut spero, nostris

ado-

adoleſcentibus cavebo, ſi hoc in præſenti docuero, ad oratoriam, & poeticam laudem contendenti, tum nimium, tum nullum præceptorum uſum impedimento eſſe.

Non deerunt fortaſſe qui dicant, injuria a me adoleſcentes homines in eo culpari, in quo digni ſint, qui non mediocriter commendentur, cumque ad abſolutam utriuſque rei poſſeſſionem ſumma omnia requirantur, eorum vividam indolem, & quæ indolis plerumque comes eſt, diligentiam, non ſatis ad tempus accommodata oratione infringi. Quid enim tandem attinuit, tot præſtantiſſimos dicendi magiſtros, qui cum incredibili litterariæ reipublicæ incremento ſingulis ætatibus claruere, huc ſuas curas, cogitationeſque vertiſſe, ut juventuti ad eloquentiam impavido paſſu properanti, certas vias præmonſtrarent, & quæ præcepta a majoribus rudia, aut obſcuriora accepiſſent, explicando, illu-

ſtrando mirifice propagarent, ſi tam exactam, latamque præceptionem modicus erat uſus ſecuturus? Ac Tullius quidem ea gloria, qua ſplendidiorem non Craſſi, non Antonii, non Hortenſii e foro unquam collegere, debuit eſſe contentus, neque erat, cur in immenſa negotiorum turba horas arriperet, quas, diligenter exarando quæ in contentione dicendi vel ipſe expertus eſſet, vel in aliis animadvertiſſet, in commune deinde litterarum bonum conferret. Ariſtoteli porro ſuam illam philoſophicam obambulationem non intermittere ſatius fuit, quam, Lycæo aliquando relicto, ad hæc humanitatis ſtudia tractanda eo mentis ardore ferri, ut in hoc quoque genere ſupra ipſos artifices videatur ſapuiſſe. Non erat profecto tanti, celeberrimos hoſce viros, & vero innumerabiles alios & Græcos, & Latinos in re laborare, quæ parum fructuoſa eſſet, immo etiam noxia, ſi in ea uſurpanda ſtu-

ſtudioſius occupareris. Hæc mihi tacite videntur objicere, qui de juvenum progreſſu nimium ſolliciti, nullos hic terminos fervidæ ætati præſtituunt, ſed magnum ſuccreſcentis facundiæ argumentum inde deſumunt, ſi cum Quintiliano, cum Hermogene, cum Longino quotidie vivant, eorumque monitis ad eloquendum ſæpiſſime utantur. Ego ſane, ſi ad ſedulos hos ſcriptores accedunt, ut Rhetoricæ naturam, & virtutem cognoſcant, præcipua ediſcant præcepta, memoriæ figant, & ad omnes opportunitates parata habeant, vehementer laudo; quandoquidem nemo egregius opifex eſſe poteſt, qui ejus rei, quam profitetur, non ante ſcientiam perceperit. Qui vero ſibi perſuadet, ſe nunquam orationem dolare poſſe, niſi ad Fabium ſtatim convolet, eique totum ſe dedat, neque rite Muſis ſcribendo operari, niſi in Ariſtotelis poetica conſeneſcat; vereor, ne ſibi imprudens eos ipſos pa-

ret

ret adverſarios, quos veluti ſigniferos, ac nunquam fallentes duces ſequitur. Age enim quid eſt, quod tui illi doctores, ſive liberam, ſive vinctam pedibus ſcriptionem mediteris, præſertim inculcent? Ut oratio polita ſit, ut elegans, ut robuſta, ut ſuis ſenſibus, & coloribus tincta, omni conatu enitere; at cave, ne quemadmodum in manufactis, opera appareat, & labor, ne artificium, quod ibi ceteroquin maximum eſſe debet, una cum ſuo auctore ſe prodat; conclamatum eſt, ſi foras erumpit. Bene hercle illi, & ex officio; ſed tu ab his jacta fundamenta ſubruis, qui in id potiſſimum incumbis, ut nihil videatur a te fieri non artificioſe, & accurate. Neque enim video, quomodo perſpicaciſſimos hominum oculos poſſit effugere tam inſignis in dividendis orationis partibus, diſtinguendis, ornandis ſedulitas, ut, ſi forte narrationem, aut enumerationem omittis, hoc tanquam

pro-

prodigium, nulla hostia apud Rhetoras expiandum, perhorrescas. Equidem in statuaria, & pictura, quæ ex certa quadam, & exquisita membrorum distributione coalescunt, intelligo, quanto in his plus ponitur operæ, tanto magis opus probari. In oratoria autem, & poetica, quæ non ex definita verborum, & sententiarum conformatione, sed ex libera, ac prope divina eloquentiæ vi suum decus asciscunt; non intelligo, quo pacto id, quod ex impensa cura tandem in lucem exit, probari possit. Ergo ne spectantium oculos tabulæ detinebunt, si in singulis membris figurandis omnem artem pictor expresserit; in se hominum admirationem signa elicient, si ex ære suavissimos vultus acerrimus sculptor eduxerit; orationes autem juxta præceptorum regulas elaboratæ non modo non placebunt, sed etiam repudiabuntur? Negat enim in libris [a] de Oratore Craſ-

(a) *Cic. de Orat. lib. 1. c. 32.*

Craſſus, vir ille eloquentiſſimus, quem perpetuæ in judiciis concertationes, non de ludo proclamator erudiverat, eloquentiæ famam quemquam adeptum, qui dicendi præcepta ſecutus ſit. Quid ſi hæc in omnem orationem quis intrudat? quid ſi nullum argumentum amplificandum proponatur, ubi non extemplo Voſſium cum ingenti illo præceptionum volumine producat? Probabitur ne, qui omnia undique circumſpicit, definitiones, cauſſas, effectus trepide expendit, comparat cum exemplis, ac ne tantillum quidem a progymnaſta, ut puer a pædagogo, recedit? Monet ne Rhetor, nihil in amplificatione nimis enucleandum eſſe? Plus, quam imperetur, obtemperat; quæ extendere etiam latius poteſt, in arcta compellit. In exordio, & epilogo affectus præſertim dominari, in reliquis vero partibus aut nunquam, aut raro admitti? Ne quid peccet, ceteras partes, etſi motus

tus possint, atque adeo debeant recipere, exspoliat. Quid quæris amplius? Jubet Isocrates, ut lenis instar fluminis incedat oratio, deligendos pedes concinnos, & asperum vocum sonum, pestem blandiloquentiæ inimicam, averruncandum? Dochimos, anapæstos, pæonas, amphibrachos avide conquirit, ut suus dictioni numerus concilietur. Verumtamen quodnam demum opus e laboriosissima prodit officina, in qua toties pluteus cæsus est, & demorsi ungues, ut ad amussim omnia revocarentur? Squallidæ, hirtæ, meticulosæ orationes exeunt, sine veneribus, sine sanguine, sine succo, puellis apud Terentium [a] simillimæ, *quas matres, ut graciles fient, reddunt curatura junceas*. Nihil usquam iratum est, nihil invidum, nihil mirabile, nihil atrox; omnia dura sunt, coacta, macra omnia. Quæ enim alia, nisi illepida eorum scriptura esse potest, quo-

(a) *Eunuch. Act. 2. Sc. 3.*

quorum labor omnis eſt in adhibendis inſtrumentis conſumptus ; ingenium interea, potior pars animi, & ad inveniendum , ornandumque maxime fecunda, non ſe extulit, nec lacertos exeruit ſuos, ſed intra artis cancellos miſere torpuit ? Majus quiddam mediusfidius eloquentia eſt, Rhetoricis regulis longe majus ; aliunde illa ſuam dignitatem, ac magnificentiam aſciſcit ; non hic, ubi opes ſuas, & lautam, copioſamque ornamentorum ſupellectilem explicat, non Demetrius, non Cornificius, non illæ ipſæ auguſtæ Sedes, quas ad credula ingenia allicienda verſuti ſcriptores librorum frontibus inſcribunt, non hic locum habent; habet ferax, & læta indoles, acuta, experrecta, expedita mens ad res illuſtrandas locum habet ; his eloquentia præſidiis munita, libera, ſuique juris, nemini addicta Rhetorum, qua libet, excurrit ; modo aperta facie in concionem ſe ſe infert, modo

per latebras in judicum obrepit animos ; modo summa , modo temperata dicendi forma sese ostentat , modo res amplificat , modo minuit , suo , non magistrorum arbitrio ; nunc irarum plena minas intentat , nunc pacata blanditias miscet , nunc amore , invidia , indignatione , misericordia permovetur . Quid mihi illam quasi discipulam in scholæ claustra compingitis ? Quid ad similitudines , contraria , conjugata , schemata colligenda , venanda vocabula , syllabas aucupandas demittitis ? Quid hoc est aliud , quam matronam nobilissimam ad vilia ancillularum ministeria detrudere , nimiumque duris legibus devincire ? Excelsum quiddam nostris auribus sonat , cum eloquentia nominatur ; pudorem tam amplum nomen nobis debet injicere , neque permittere , ut ejus antiquum decus cum arte , quæ famula est , & ministra , temere commisceatur . Antequam infinitum illud

præ-

præceptorum agmen in oratoria caſtra, Sophiſtæ, inveheretis, ante veſtras de Epidictico genere, Deliberativo, Judiciali diſceptationes nata erat eloquentia; forum, curiam, judicia occupaverat; veſtrum hoc artificium, quod tantopere urgetis, ab illa accepiſtis, ne dicam ſurripuiſtis. Non temere hæc pronuntiamus; ſiquidem ingenio, & lingua eximii olim viri fuere, qui cum mira verborum ſuavitate placerent hominibus, eorumque animos vehementi orationis copia regerent, ac moderarentur, peculiarem quendam, & a vulgo remotum ſermonem adamarunt. Hic ſingulari hominum induſtria, & frequenti uſu dilatatus, in conſuetudinem ſenſim, ac prope legem abiit, atque præſtare reliquis dicebantur, qui facundos illos viros melius imitarentur. Nihilo tamen ſecius manſit libera, ut æquum fuerat, eloquentia; propterea quod naturarum varietas, multiplex, ac diſſimilis elocutio,

rerum, & caussarum diversitas vetabat, quominus præcepta certa constituerentur. Ecce tibi repente exorti Rhetores, qui sive verecundia, sive metu foro prohibiti, rem pulcherrimam, & ab oratoribus in medio relictam, in domestico otio tractandam suscepere, & quæ in dicendi ratione observata sunt, suis designantes verbis, illustrantes generibus, ac partibus distribuentes, facultatem nobis peperere, quæ Rhetorica dicitur. Horum disciplinam, si nihil prodesse dicam, profecto mentiar; est enim, ut scribit [a] Tullius, etiamsi minus ad bene dicendum necessaria, ad cognoscendum tamen ingenuo homine non indigna; sed [b] Q. Catulus apud eundem Tullium, concoquere non potest, eos, qui nunquam forum aspexerint, & judicia, documenta velle de re ipsis ignota perscribere, dignos prope dixerim, qui a disertis eo responso dimit-

(a) *De orat. lib.* 1. *c.* 32. (b) *Lib.* 2. *c.* 18.

mittantur, quo Phormio quidam Peripateticus ab Annibale dimissus est, qui cum de Imperatoris officio de expeditionibus, de urbium oppugnandarum apparatu, de vineis, de catapultis diu, copioseque coram fortissimo duce disputasset, rogatus Pœnus, quid de Philosopho tam docto sentiret, liberrime respondit: Multos se deliros senes vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem. Alius enim forensis pugnæ, alius umbratilis commentationis habitus est; alia tradendæ artis, alia orationis fingendæ ratio; tempestivos facetiarum sales, concitatissimas dicendi flammas, tonitrua, fulmina, non intermortuæ magistrorum voces, sed miserabilis reorum facies, adversariorum pervicacia, Judicum conspectus, clamor, lux, cœlum subministrat. Proinde horum præceptis qui suam libertatem addicit, sterilem, exsuccam, scholasticam orationem inducit, eorumque

fit similis, quorum vestigiis insistit; hoc est non orator. Quos enim e tanta docentium turba mihi quis proferet, qui ad mediocrem aliquam facundiæ laudem pervenerint? Audiet illos de dictione Asiatica, Attica, Rhodia ingeniosissime disserentes, quæstiunculas etiam satis argutas de Rhetorica docente, & utente agitantes; at si stylum prehendere eos videat, & aliquid oratoris in morem præfari, quid non hispidi, quid non salebrosi, quid non audiet dissipati? Mihi sit instar omnium Quintilianus, qui propter singularem eloquentiæ tyronibus navatam operam, summi præceptoris nomen obtinuit: quis in docendi munere eruditior, ad judicandum prudentior, ad veterum elegantiam, & acumen delibandum ornatior? Cape nunc, quas in privato ludo meditabatur, ejus declamationes cape (si quidem ejus sunt, quod video a multis negari) quam subito alium a Quintiliano præci-

cipiente hominem dicentem offendis, quam aridum, quam angustum? Quod cum attente considero, mirari subit, quid Laurentio Vallæ in mentem venerit, tam libere pronuntiare, (a) *neminem posse neque Quintilianum intelligere, nisi Ciceronem optime teneat, neque Ciceronem probe sequi, nisi Quintiliano pareat, neque quempiam eloquentem post Quintilianum fuisse, nec esse posse, nisi qui se totum arti ejus formandum, imitationique tradiderit*. Sed ille studio partium abreptus, ut in Aristotele, ac Tullio insectando, sic in Fabio efferendo est modum, ac fidem prætervectus. Hæc enim est Criticorum consuetudo, ut, quoniam sibi ad oratoriam laudem aditum interclusum vident, ad id, quod est facile homini eruditionis parandæ non penitus ignaro, ad præcepta artis tradenda convertant animum, in quæ si a scriptoribus peccari sentiunt, aut putant, sta-

(a) *Lib. 1. Antid. in Poggium.*

tim in jus arripiant, supinæ negligentiæ insimulent, hos illis anteferant, omnem denique rem litterariam susdeque agant. Sed sinamus eos, quando in suo regno sunt, in tutos jam, & communi hominum fama probatos viros censoriam virgulam expedire; interim statuamus , quos Græcia, & Latium suspicit oratores, Demosthenem, Æschinem, Tullium, Hortensium sua magis virtute, quam præceptorum ope eloquentiæ fastigium tenuisse; poetas autem, quos in sacra Musarum templa cælestis quidam spiritus intulit, Homerum, Virgilium, Horatium, Ovidium natura maxime valuisse ipsa, & prope nihil magisterio debuisse. Suus est in unoquoque nativus, ac solidus color, quo vere explendescunt, quo unus ab altero secernitur; at fortasse nemo mihi certam ab arte petitam caussam assignabit, cur Virgilius poetas omnes exsuperet, Tullius oratores & Græcos, & Latinos *to-*

to

to vertice supra sit ; Silius , Statius , Claudianus , Valerius Flaccus , si cum Marone comparentur , languere videantur . Quis enim risum cohibeat , quoties in eorum interpretes incurrit , plus quam lynceo oculo pervadentes intimas singulorum verborum fibras , monere perpetuo legentem , urgere , instare , ne quid sibi elabi patiatur , quod non arti continuo deferat? quasi vero doctissimi viri , quod in suo genere perfectissimum est , non mentem , & linguam acuendo , sed opificum instrumentis utendo , sint consecuti . Tu igitur ab Adolescentibus omnia præcepta prorsus ablegas , inquiet aliquis , eorumque animos nec opinato confirmas , qui sua jam sponte ad hæc studia profitenda sine ullo doctrinæ usu cucurrerunt . [a] *Pergis pugnantia secum Frontibus adversis componere* . Nolo ego vitium vitio , & haud scio an pejore sanare ; præceptionibus enim rheto-

ricis

(a) *Horat. serm. Satyr.* 1.

Digitized by Google

ricis tanquam tabulæ adhærefcere, fi malum eft, habet tamen aliquid, quod honefti timoris in re difficillima fpeciem ferat; quis vero æquo animo pati poteft, eos, qui rudimenta difciplinæ ne primoribus quidem labris deguftarunt, in hoc oratorio, & poetico pulvere tam intrepide jactari? Atqui quam multi funt, qui fe fatis fuperque ad humanarum litterarum tractationem a natura inftructos exiftimantes, & fæpe, ac fæpius ufurpatam artem orationi officere intelligentes, nullum fibi cum præceptoribus, eorumque legibus commercium volunt? non fecus ac cerebrofi homines, qui cum audierint, immodicis pharmacorum potionibus optimam vitiari valetudinem, quælibet remedia, & quidquid Hippocratem, & Galenum fapit, etiam cum maxime medico indigent, averfantur. Nafcitur, non inficior, nobifcum loquendi virtus, & mutua cogitationum, ac fenfuum

com-

communione adolescit; in aliis orationis ubertas, sententiosa in aliis brevitas, in aliis lepores magis emicant, libenter concedo; addo etiam aliquid amplius, plebecula ipsa, cetera rudis, suos tropos habet, suas interdum figuras belle fundit, novitque, si quid ab aliquo petendum sit, ei satis callido procemio blandiri. Hæc tamen vis non exigua ad oratoriam, & poeticam contendenti, non est mehercule satis; nisi ab arte, docta nutricula, institutionis quasi lacte educetur, manca semper erit, nec unquam certo, ac stabili gradu consistet. Video, me apud sapientissimos viros de re minime obscura verba facere; sed date mihi quæso veniam hanc, ut paucissima apud eos attingam, apud quos increbuit opinio, in præceptis addiscendis oleum, & operam perdi. Ea enim est dicendi provincia, ut si ingenio, & animo magno sustineatur, admirabilem orationi auctoritatem, di-

dicenti fidem, reis præſentiſſimum præſidium afferat. Jam quis hæc bona tam ampla, tam neceſſaria ſperare poteſt, qui non artem comitem habeat, docentem, quo flectendum ſit iter, unde reducendum; quid amplificandum ſit, quatenus, quibus amplificandum? Multa & ignarus doctrinæ dicet, at ſine ordine, & ſine lege; caſu, & temere pleraque effutiet; qui non didicerit in exornationibus quæ potiſſimum laudanda, in deliberationibus, quæ ad ſaluberrima conſilia præbenda ſint opportuna, in judiciis, quæ adverſarios concutere poſſint, & palmam oratori promereri. Quid ſi in eas incidat controverſias, cum per conjecturas facti veritatem perquirimus, vel cum nomen rei definiendo, inveſtigamus, vel cum ejus qualitatem diſcutiendo, de honeſto, & utili diſceptamus? Hærebit incertus, ac dubius, aut enthymemata crebrius, quam oportet, intorquebit,

aut

aut nimia ad delaſſandos Auditores exempla adducet, omnia aget præter dicentis munus, qui fontes non petat, unde ad excogitandum, diſponendum, & quæ paraveris, verbis, ac ſententiis conveſtienda, opportuna materies hauriatur. At enim poetæ, qui e contrito proverbio naſcuntur, præceptis non indigent. Mehercule tam beatis hominibus magnopere gratulor, quod præter poeticum furorem, quo ad omnem Hippocrenem combibendum ſe rapi ſentiunt, edocti quoque a natura ſint, quid ſoccum deceat, & cothurnum, quid Epico, & Lyrico conveniat carmini, ſi tubam, & plectrum ſumant. Non illis incongrua, abſona, remota, veritati contraria unquam excident, cum tamen (a) *quandoque bonus dormitet Homerus*. Itane vero, non dicam Tragædiam, & Epopæjam conſcribere, ſed aliquid dignum Apolline moliri poteſt, qui poe-

(a) *Horat. de Arte Poet.*

poematis vitia non ante cognoverit, ut effugiat, virtutes, ut amplectatur? Ita ne in Euripide, in Æschilo, in Sophocle, qui omnem facultatis vim ad fabulas luculenter texendas contulere, non pauca censuram patiuntur; tu tibi tantum arrogas, qui nullo duce credas, te posse Musarum præsidi lauream decerpere, & in vatum numerum referri? Nam Pindarus [a] glorietur per me licet, suis se tantum pennis rapi in sublime, & cœlum cantus dulcedine permulcere; Bacchylidem contra, & Simonidem, æmulos suos, diuturna arte institutos, serpere semper humi, nec audere quippiam poetica majestate dignum, sed rude, & inconditum crocitare; glorietur per me licet; etsi enim raro admodum eorum scholas, qui voce præcepta traderent, adolescentulus frequentavit, legendo tamen poetas veteres, & quoad fieri potuit, imitando,

(a) *Olymp.* II.

do , quaſdam ſibi leges impoſuit ; quas , cum lyram tangeret , ſequeretur. Scilicet poeticus furor (quoniam ita appellari placet) ſi diligenti , & attenta cura non temperetur , & invitus licet , ac repugnans valido rationis fræno non compeſcatur, furor erit, at non divinus. Sed verborum fortaſſe pluſquam ſatis: nemo enim eorum, qui me tam humaniter audiunt , pro ſua ſapientia non videt , quam procul ab oratoria , & poetica laude ſit & qui præceptis tribuit omnia , & qui præceptis omnia denegat . Sed huc ego univerſa oratione ſpectavi , ut timidis quidem adoleſcentibus , quantum per me liceret , adderem ſpiritus , eoſque ad efferendum extra anguſtos artis limites fidenter ingenium excitarem ; audentibus contra metum incuterem , & propoſita diſciplinæ Rhetoricæ natura , intra terminos aliquos continerem . Nihil enim ex una parte magis miſerum videri poteſt , quam ſe legi-

bus

bus ita obſtringere, ut ingenio locus non ſit, nihil ex altera magis lubricum, quam in litteris ita libere volitare, ut nihil ſit reliquum diligentiæ. Nimirum modus in rebus omnibus ſervandus eſt, cavendumque etiam hic, quod monet Philoſophus, μηδὲν ἄγαν. * Quamquam hæc, quæ dicimus, non poſſunt adoleſcentes noſtri negligere, ſi ſerio reputent, hac aurea mediocritate litteras floruiſſe ſemper, ſuumque decus mirifice propagaſſe; non illis unquam patronos ſummos, non fauſtiſſimos auſpices defuiſſe, neque unquam defore. Quod ſi placuit ſuperis, ut tanto cum omnium noſtrum, totiuſque civitatis mœrore nobis Paſtor optimus, Georgius Cornelius, dignitate æque, ac virtutibus Eminentiſſimus, eriperetur; acerbiſſimam Cardinalis tanti jacturam, alterius Cardinalis, Joannis Franciſci Barbadici in Eccleſiam Patavinam delectu, viſi ſunt


leni-

* *Ne quid nimis.*

leniviſſe. Hic vero, Auditores, jure quodam ſuo videntur mihi Muſæ noſtræ lætiore renidere vultu, potioremque ſibi communis gaudii vindicare partem, cum cernant ad haſce ſedes, tamquam in domum ſuam, venire Præſulem, qui non modo ſanguinis propinquitate, ſed & eximia vitæ laude Patrui ſui, Venerabilis Viri imaginem referat, a quo ſe progenitas, ſe altas, ſe ad hanc magnitudinem eductas intelligant; ſe quidquid poſſunt, quidquid valent, ab illo unice habere; ac certo confidant, dummodo ipſæ ſibi non deſint, nihil ab hoc defuturum.



ARGUMENTUM
SECUNDÆ ORATIONIS.



I quis quæreret, cur orationem ad studia nostra instauranda altero ab hinc anno a me primum habitam typis statim commiserim, nullam aliam fuisse caussam responderem, quemadmodum supra innuimus, nisi ut Eminentissimo Principi nostro, qui ad Ecclesiam Patavinam regendam nuper delectus erat, observantiæ, & cultus nostri argumentum publice præberem, meque etiam hac ratione, quæ sese mihi obtulerat, Patrono Optimo commendarem. Neque vero huc ego unquam progressus essem, nisi ii, a quo-

quorum nutu pendebam, & multi præterea prudentes homines me, ut id animose facerem, impulissent; non quod tam justum erga Mæcenatem spectatissimum officii munus renuerem, sed quod prælorum cupidissimus, tenuissimam præsertim lucubratiunculam in lucem emittendo, videri nolebam, & ambitionis morbo, in hominum animos facile irrepente, statim laborare. Vicere tamen hæc omnia caussæ, quæ ab illis sapientissime allatæ sunt, tantumque apud me honestatis ratio valuit, ut me mei pudoris, qui me tardum fortasse fecerat, pœniteret. Sed de præteritis satis; nunc reliquum est, ut in eo loco positus, ubi, qui me præcesserunt, hanc mihi viam exemplo suo aperuere, opus incæptum urgeam pro virili, & præclarissimum majorum institutum servem. Ego certe, ne transversum quidem unguem ab iis discedam, qui honesta monent, & honesta faciunt, & quemadmodum qui longius progreditur, omnem itineris ratio-

tionem demum deprehendit, ita ego, si quid boni videro, in hac re litteraria nostra suscepta, in communem utilitatem conferam. Libuit autem inter cetera, quæ mihi pertractanda occurrebant, illud argumentum seligere, in quo non pauci sese oratores plebeculæ venditant, & per quædam adumbrata eloquentiæ signa bonis hominibus fucum faciunt. Cum enim tria, docente Tullio, in elocutione præcipue spectentur, ut latine, ut plane, ut ornate dicas, illa duo, quæ facilia sunt, nonnulli consequi conati sunt, neque inanis iis conatus cessit; at tertium, quo omnis eloquentiæ virtus continetur, pauci admodum obtinuere. Quoniam vero multi sunt, qui latine loquuntur, sed pauci, qui genuinam latinitatem possident, qualis in Tullio, & Cæsare fuit; hinc factum est, ut haberentur a populo oratores, qui nitidum, & Tullianum dicendi genus afferre possent. Sed hos quoque, industrios alioquin homines, non esse oratorum donandos no-

mi-

mine, hac oratione contendo; siquidem hoc pacto in sua quisque lingua esset eloquentissimus, eo quod composite, & eleganter loqueretur. At cur, inquiet aliquis, in tertia parte, quæ ornatum orationis complectitur, & quæ cordatorum hominum voce omnem dicendi virtutem complectitur, tam pauca verba? Ob id ipsum nimirum, quod ornatus princeps eloquentiæ virtus est, me non latius ad elocutionis vim explicandam excurrere æquum duxi, & alteram orationem instituere. Illud enim potissimum spectavi, ut opinionem quorumdam, omnia in latinæ linguæ scientia collocantium, refutarem; quod si fecissem, non erat admodum difficile Auditoribus, ubi eloquentia maxime contineretur, conjicere. Num id præstem, malo legentes judicare.

ORATIO
SECUNDA.

Omnis eloquentiæ laus, & ingenii admiratio non in latine, & plane, ſed in ornate dicendo poſita eſt.



Ui altero abhinc anno in hanc primum amplitudinis pleniſſimam lucem proditurus, vehementer animo commovebar; tantum abeſt, ut ſuperiore illo periculo utcumque perfuncto, minus mihi formidoloſus locus hic videatur, ut majore etiam, quam antea, ſentiam me metu concuti, gravioriſque diſcriminis objecta ſpecie, gravius quoque exanimari. Etſi enim

ne-

nemo eſt ad eloquentiam tam feliciter a natura comparatus, tam ab arte ſolerter excultus, qui, quoties coram acerrimi judicii viris dicere inſtituit, toties non trepidet, & expalleſcat; multæ mihi tamen ante oculos cauſſæ tunc obverſabantur, quibus formidinem, quæ animum occuparat, minuerem, & aliqua non infelicis prorſus exitus fiducia, turbatum pectus componerem. Ipſa enim hominis novitas, qui in publicum procedebat, ipſa loci dignitas, quæ facundiſſimo cuique verecundiam ſemper offudit, ac cetera illa momenta maxima, quæ arduum dicendi munus comitari ſolent, ipſa per ſe ad benevolentiam Auditores impellebant, ut ſi forte hærerem alicubi, ac deficerem, veniam ultro mihi concederent, & ſi quæ afferrem, probare non poſſent, æquis ſaltem auribus tolerarent. Nunc vero ad hæc ſolemnia perfugia video mihi omnem prope aditum interclusum. Qui enim

iterum sese dat in conspectum, qui ora gravissimorum hominum rursus subit, tanto rigidiori sese exponit censuræ, quanto ad comitatem, facilitatemque fuere Auditores proniores. Neque hæc ego dico, quasi a cætu litteris omnibus politissimo, unde tanta exiltit humanitas, triste aliquod, & ominosum judicium metuam. Sed tamen, siqua de dicente opinio non omnino sinistra excitata est, unde illa, & quo pacto orta sit, diligentius expenditur; num dictio æquabilis ubique sit, num præteritæ respondeat, quam demum in posterum de se spem faciat, severiore trutina examinatur. His omnibus incommodis illud postremum accedit, quod cum primum hanc lucem aspexi, alienam provinciam obire, & annuam proludendi rationem, quam prætermitti majores nostri nunquam voluere, cum vacua esset, occupare jubebar, ita ut non rigide admodum mecum actum iri

pu-

putarem, si quæ alii ad sui nominis propagationem non levia post se reliquere vestigia, ego pene tumultuarius orator consequi minime possem. Verum hodierna die, cum jure, ac rite in hunc oratorium pulverem descendam, & pro ea, quæ mihi imposita persona est, non meam modo, sed etiam totius hujusce rei litterariæ vicem sustinere debeam; quam metuendum est, ut ulla mihi ad ignoscendum via relinquatur, si officio, si loco, si tempori pro ea, qua par est, dignitate non satisfecero? Quæ singula cum mente versarem, & citra omnem cupiditatem perpenderem, nescio cui fortunæ muneri tribuebam, quod me nec ab eruditione, nec ab usu satis paratum, vix vocem emittere tunc incipientem, obmutescere statim voluit, ingeniumque hoc publico aspectui ferendo impar, in privatam umbram revocavit. Et quidem jam satis superque meæ conscius in-

fir-

firmitatis, intra Scholæ latebras libenter conquievissem, nisi Principis Eminentissimi intervenisset auctoritas, cujus imperium ut Principis, & hujusmodi Principis non sequi solum, sed etiam revereri debeo; cui quoniam egregiam indolem, dicendi ubertatem, & acumen mentis polliceri non possum, voluntatem, quæ mihi una reliqua est, summam, addictissimamque publice polliceor, annisurus vi omni, ut quæ mihi animi ornamenta desunt, in toto nostrorum studiorum cursu vigilantia, & sedulitate compensentur. Atque ut anno illo conati sumus ostendere, duabus præcipue de caussis ab oratoriæ, & poeticæ laudis possessione adolescentes retardari, quod alii nimium præceptis adhærerent, alii vero a se penitus abdicarent, ita nunc aliud æque grave impedimentum removere constituimus, ab iis maxime, qui omnem eloquentiæ vim latinæ linguæ scientia definiunt, eosque orato-

rum

rum nomen obtinere arbitrantur, qui latine, & plane loquuntur. Accidit hoc ex pervagata passim nonnullorum voce, miris laudibus latinam dictionem, quæ pura sit, & perspicua, extollentium, peregrinam, & obscuram infra barbaras gentes amandantium. Itaque illi in concinnis vocibus deligendis, & sermonis elegantia ex optimis scriptoribus delibanda toti sunt; interea vero ornatum, qui oratorem facit, & a ceteris distinguit, omnino negligunt. Ex quo fit, ut eorum oratio latina quidem sit, & aperta; sed ita impexa, & incomta, ut nulla facundiæ forma, nulla prope venustas appareat. Hanc ego præjudicatam opinionem hodierna luce evellere aggredior, non ut adolescentibus latinitatis in dies magis acquirendæ curam minuam, sed ut majorem iis esse suscipiendam cogitationem ostendam, quod facient non gravate, si sibi persuaserint, omnem eloquentiæ

lau-

laudem, & ingenii admirationem non in latine, & plane, ſed in ornate dicendo poſitam eſſe.

Tantæ ſunt, tamque honorificæ, quæ ad latinæ linguæ dignitatem ubique gentium laudes congeruntur, ut in media luce cæcutire merito videar, ſi de pulcherrimo hoc, & honeſtatis refertiſſimo ornamento, in quibus ineſt, detrahere quippiam velim. Atque hæc quidem laus non iis ſolum tribuitur, qui multas, variaſque tractantes litteras, munditiem, & elegantiam in ſcribendo ſibi propoſuerunt; ſed iis quoque impertitur, qui magis reconditum, & a vulgi ſenſu remotum ſcientiarum genus profitentes, locutionis tamen candorem, quantum rei, de qua agunt, natura patitur, non repudiarunt. Nullus philoſophus eſt tam ſpinoſus, qui ſi incorruptam latini ſermonis integritatem in differendo ſervet, non patienti ſolum, ſed etiam libenti animo audiatur; nullus Theo-

lo-

logus tam abſtruſus, qui dummodo ſuperum myſteria nitida oratione ex altiſſimis ſedibus ad nos deferat, frequentiſſima ſubſellia non circumſpiciat; nullus denique tam tenuis notæ Auctor eſt, qui ſi ſuam ad genuinæ latinitatis normam dictionem caſtiget, a reliqua turba non eximatur. Quanto enim purior, & ſimplicitati propior oratio eſt, tanto nobis ſolet eſſe jucundior, neque quicquam eſt, quod teretes aures magis reſpuant, & averſentur, quam abſona locutio, incondita, & peregrina. Hinc, credo, factum eſt, ut qui primi, barbarie Italo ſolo tandem pulſa, in patrias oras exulem latinitatem revocarunt, eique ſquallorem, ac virus, quo miſera contabuerat, detraxere, Poggii, Faccii, Philelphi, Barbari, Politiani incredibili cum voluptate tunc audirentur, & ad imitandum poſteris etiam, veluti aureæ ætatis adumbrata exempla, proponerentur. Verumtamen quid demum

con-

conficimus, cum tot latinæ linguæ vindices, servatoresque in medium afferimus? Quid cum illam, postquam græcarum litterarum studium a multis laborem refugientibus intermitti cœptum est, supra ceteras floruisse affirmamus, & in remotissimis quoque regionibus, ubi mitiora ad cultum ingenia nacta est, in sinum statim receptam, ac magna animi contentione arreptam? Quid, inquam, aliud efficimus, nisi purum, & candidum dicendi genus oratori inculcamus? Si enim quilibet eniti debet, ut quam maxime fieri potest, emendate, & caste loquatur; quanto magis oratori, qui in dicendi ratione, ut in sua provincia dominatur, erit verborum elegantia, ac splendor asciscendus? Huc spectat[a] in Bruto Atticus, cum solum, & quasi fundamentum oratoris esse ait locutionem emendatam, & latinam; huc Cæsar[b] in eodem Bruto, cum verborum

(a) *Cic. in Brut.* (b) *Cic. ibid.*

rum delectum originem esse eloquentiæ pronuntiat; huc in tertio de Oratore[a] Crassus, cum latine loquendi usum oratori necessarium commendat; qui tamen Crassus, cum de elocutione non tam præcepta adolescentibus Cottæ, & Sulpicio traderet, quam de præceptis ipsis judicaret, in duabus primis partibus, hoc est in latina, & plana locutione explicanda diu immorari supervacuum sibi esse existimavit, quod & facilis earum cognitio foret, neque ullam disertissimis viris famam conficeret. At facile, inquiet aliquis, facile Romæ fuit, in ipsa linguæ latinæ sede, aureo illo, ac vere beato sæculo, quo tot egregia oratorum, & poetarum ingenia ad ejus felicitatem conspirabant, facile fuit latine loqui; ipsa enim lingua una cum Romano cive quodammodo nascebatur, vixque nata ut adolesceret, & ad maturitatem suam perveniret, nutricibus, vernis,

(a) *Cic. de Oratore.*

nis, pædagogis pueri ſtatim committebantur, qui cum domi quotidie viverent, ſuaque ſenſa non alia, quam Romana lingua explicarent, teneros eorum animos nullo negotio patrio ſermone imbuebant. Nunc autem, qui tam præclarum adipiſci bonum cupit, ac vim latinitatis in ſuccum, & ſanguinem ſuum convertere, quot, quantique ſudores fundendi ſunt, quot audiendi præceptores, quot volumina diu, noctuque verſanda? Quoties cum Lexicis, cum Interpretibus, cum Scriptoribus, cum Grammaticis, quoties tibi tecum luctandum eſt, antequam non dicam antiquam illam vetuſtatem attingas, ſed unius, aut alterius voculæ verum ſenſum aſſequaris? Ubi porro quis tam copioſam, tam multis difficultatibus circumſeptam linguam addiſcere pro virili conatus eſt, ubi navos homines de verborum, & nominum radice inter ſe acerrime digladiantes tandem aliquan-

do

do composuit, & tentare aliquid non infeliciter latine cœpit, nullam laudem adeptus esse censebitur? At non ita, M. Crasse, sensisses, si ad hæc vixisses tempora, quibus latinæ litteræ externæ prope sunt, & alienæ: immo affirmasses, longe esse facilius orationem comere, suisque luminibus quasi colorare, quam e Scriptorum fontibus purissimos dicendi latices haurire. Quid ad hæc, Auditores, quæ tacite video mihi a multis objici? Ajo & ego, nec dissimulo, fuisse olim florente Roma non magno parabiles opes illas, quæ ipsis quoque fœminis abunde patuerunt; siquidem accepimus & Cornelias, & Licinias, & Lælias, & Mucias, ad Pacuvii, & Ennii elegantiam proxime accessisse, quod parentum, & domesticorum eloquentiam audiendo, integra ac solida loquendi suavitate tingerentur. Minime enim dubium est, quin nobis hac in re omnia salebrarum plena videantur, quod

nos Itali, quemadmodum multæ aliæ Nationes & cœlo, & vitæ institutis a nobis longe sejunctæ faciunt, non assuescamus, simul ac puerilis doctrinæ rudimenta percepimus, aliquid latine balbutire, mentisque cogitationes, quocumque modo possumus, expromere. Labor certe, & difficultas nobis minueretur, cum ad ætatem meliorem perducti, loqui, & scribere juberemur. Nolite tamen credere ab hoc discendi labore fuisse penitus Romanos liberos; neque enim qui ad eloquentiam aspirabant, eo orationis genere contenti erant, quod vulgo, & mulierculis commune esset; sed & optimos, & dicendi laude præstantissimos sibi ad imitandum proponebant; audiebant quotidie optimos, & in veteribus tum poetis, tum oratoribus legendis horas bene multas consumebant. Immo Cæsar,[a] qui libros etiam de Analogia scripsit, non patria tantum

(a) *Gellius lib. 1. cap. 10.*

Digitized by Google

tum consuetudine, sed multis, iisque reconditis litteris erat assecutus, ut unus omnium oratorum latine loqui elegantissime putaretur. Atque hoc, nisi fallor, in caussa fuit, cur pulcrum esset latine scire, non quod ipsum latine loqui magnam aliquam laudem promereretur, sed quod plerique omnes, qui in foro, & judiciis versabantur, non quomodo dicerent, sed quid dicerent, cogitabant, ac propterea qui minus bene, & nitide loquebantur, si conferrentur cum ceteris hoc in genere accuratissimis, diligentiæ, & studii laude caruerunt. Quæ sane cura eo magis erat adhibenda, quod domestica barbaries jam tum nitorem pristinum infuscare cœperat, & braccatæ, ac Transalpinæ nationes in urbem receptæ, simul cum moribus, ut fere fit, peregrinitatem quoque sermonis invexerant, quam evitare non poterant, nisi qui ad linguæ vernaculæ usum litteras etiam addidissent, pro-

beque noſſent, quæ voces Romanæ eſſent, quæ civitate donatæ; quæ latinæ, quæ in latinorum colonias aſcriptæ; quæ plus, quæ minus haberent leporis, & ponderis; uno verbo qui vocabulorum elegantiam, & virtutem undecumque poſſent, ante didiciſſent. Quod ſi Romani, in qua nati erant, & alti, linguæ venuſtatem cognoſcere, & callere ſtuduerunt, neque inter innumeros, qui huic arti ſe dedidere, oratores habiti ſunt, niſi qui ornare inventas res potuerunt; quid nos primis facundiæ parentibus comparamus, qui pauculas periodos non inconcinne elucubrarunt? Nolo quicquam dicere invidia dignum; ſed nimia quadam bonitate fit, ut ſimul ac latinum hominem ſeſe aliquis & ſcriptis, & voce prodidit, inter eloquentiſſimos ſtatim referatur. Non eſt mehercule ſatis ad decus tam ſplendidum obtinendum caſtigatiſſimas ad unguem afferre phraſes, eaſque belle in oratione collocare;
non

non eſt ſatis verba omnia e Tullii penu depromere, & ad compoſitionem quamdam partium & condecentiam colligare; ſi hæc ornatu carent, ſi carent amplificatione, ea rudes homines, ut ſolent omnia, quæ ſibi videntur rara, mirabuntur, & laudibus cumulabunt; ſapientes autem, qui aliquid amplius ab oratore depoſcunt, in quo omnis eloquentiæ vis continetur, diligentiam illam aliquando commendabunt, aliquando ut nimiam fortaſſe, & moleſtam reprehendent. Nam magnifica, non diffiteor, gravia, & apta vocabula deligenda ſunt, quæ cum ipſis rebus nata, ipſarum naturam exprimant, & eloquentiæ majeſtatem exæquent. Sed quis puſillum ejus ingenium non appellet, qui anxietate quadam certas loquendi formas, quæ elegantiores videntur, hinc, & illinc decerpit, & ad orationem deinde, quaſi unco impacto, traducit, in quibus adeo labor apparet, & cura, ut in to-

ta, quanta quanta est, verborum structura nihil aliud, nisi ut voces illæ non omnibus obviæ, veluti gemmulæ, ponerentur, spectasse videatur? Ex hac curiosa diligentia alterum malum consequitur, quod hujusmodi hominibus, teste Fabio,[a] *nullus finis calumniandi est, & cum singulis pene syllabis commorandi, qui etiam cum optima sint reperta, quærunt aliquid, quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum, nec intelligunt jacere sensus in oratione, in qua verba laudantur*. Quod ille de latina scriptura, idem ego de etrusca dici posse puto. Licet enim id in adolescentibus animadvertere, qui si quando latinum scriptorem in Italum sermonem vertere jubentur, ad Lexica statim convolant, ibique trepidi, anhelantesque volvunt, revolvunt, miscent, turbant omnia, ut demum non pulcra, & usu recepta, sed horrida, & vetustate exesa verba extrahant, quæ orationi, ut ipsi putant, raritatem conci-

ci-

(a) *Quintil. Instit. l. 8. proœ.*

cilient, & in Auditoribus admirationem pariant; ut sanæ mentis viri judicant, auctores ipsos ridiculos faciant, scriptionem autem deturpent, & obscurent. Quid enim oratori curandum magis, quam ut clare, ut dilucide, ut aperte loquatur? Cum enim oratio nuncia sit, & interpres eorum, quæ mente conduntur, tanto reliquis putatur quisque antecellere, quanto mundiore stylo sui animi sensa detegit. Auditorem habet ille populum indoctum, & rudem, cui nisi rem ponat ob oculos, & quid velit, & quid postulet, sine ambagibus, sine periodorum anfractu dicendo demonstret, nunquam ejus animum permovebit. Quamquam hæc perspicuitas & ad vulgus, & apud Judices, & in Senatu servanda est, suisque rebus male consulunt, qui brevitatem quandam affectantes, & religiose singula verba metientes, eo culpari pacto possunt, quo (a) *illa anus Attica Theo-*

(a) *Quintil. Inst. l.* 8. *c.* 1.

phrastum, hominem alioquin disertissimum, annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit, nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Attice loqueretur. Est nimirum dicendi genus, quod etiamsi omnibus commune videatur, peculiarem tamen laudem ab eo, qui dicit, accipit; sunt usitata, sunt propria, sunt clara vocabula, quæ in nativa simplicitate gravitatem suam habent, & pulcritudinem, si tu, qui efferre debes, noveris opportune uti: quod ubi feceris, te latine, te plane loqui fatebimur; sed orationem, nisi tertium illud addideris, quod proprium eloquentiæ est, & eloquentiam constituit, nisi ornate dixeris, nunquam oratorem appellabimus. Quid igitur istuc tandem est, quod a ceteris dicentem distinguit, & in præcipuo quodam lumine collocat? Quid istuc, quod apud omnes silentium, quod admirationem, quod plausum excitat? quid est istuc ornate dicere, quod si in ali-

quo

Digitized by Google

quo reperiatur, in eum omnes ſtupore quodam perculſi ora convertunt, divina virtute, & ingenio præditum putant, ac ſi dies totos audiant, nulla tamen moleſtia, nullo tædio occupantur? Ille nobis orator eſt, (a) qui res diſtinguit, & explicat, qui illuminat, qui amplificat, qui eaſdem ſæpe verſat, in iiſdem hæret, ibique commoratur, ſed vario habitu, variis figuris, miris modis. Hoc eſt ornate dicere, ubi & copia ſit, ſed quæ ſatietatem non inducat, ubi ſales, ſed qui importuni non frigeant, ubi eruditio, ſed quæ nimia non enecet, ubi affectus, ſed qui in Auditore ipſo naſcantur. Hæ fuere artes validiſſimæ, quibus quondam Roma capta, cum Tullium pro Roſcio, pro Cluentio perorantem audivit; hæ aureæ catenæ, quibus univerſa Græcia devincta, cum Periclis, Demoſthenis, Æſchinis tonitrua exhorruit. Non illic verborum elegan-

tia,

(a) *Cic. de Orat.*

Digitized by Google

tia, non accurata, & perſpicua dictio tantum valuit; valuit dicendi genus forte, & commotum, valuit oratio, quæ ex omni parte cauſſæ munita eſſet, quæ adverſarium inſequeretur, terreret, percelleret; quæ aliquando torrentis inſtar ferretur, & univerſam ſecum concionem abriperet, aliquando placida, ac lenis commendaret reos, ſupplicaret Judicibus, eoſque vel invitos cogeret ſibi obtemperare. Quanta enim cum voluptate detinentur omnes, ſi dulcis, & melliflua percurrat oratio, ſi numeroſe cadat, ſi nuſquam offendat? Tolle rhythmum, qui noſtris illabitur animis, eoſque totos ſuaviſſime pervadit; jam languent omnia, jam delumbia ſunt, jam confragoſa; jam ille latinitatis minime fucatus nitor flacceſcit. Sed hic quoque, ut in ceteris, ſuus modus eſt. Ut enim non exiguam meretur laudem, qui ad ſuavem quendam ſonum orationem aptis intervallis diſtinguit;
ita

ita vituperatione non caret, qui plus, quam oportet, hanc vocum positionem affectat. En dicenti statim adempta fides, & aversus a caussa Judex, inani quadam lætitia gestit, cum illi rotundi ambitus sese invicem convolvunt, sese invicem petunt, & mirabili nexu inter se recurrentes, musicum quendam concentum faciunt. Quod vitium non ille vitare potuit, si fides [a] Dionysio Halicarnassensi habenda est, qui componendæ ad numerum orationis præcipuus auctor fuit, & præceptor, Isocrates, politissimum ingenium, & ad omnes orationis veneres, & lepores maxime factum, qui cum nimio quodam exornandæ facundiæ æstu se rapi sineret, in tumidum, inflatumque dicendi genus imprudens delapsus est. Sed hæc, qualis demum cumque fuit, loquendi ratio ferri potuit, donec Attico Cœlo se se continuit. At postquam e Pyreæi finibus eloquentia sese ex-

(a) *In Judicio de Isocrat.*

extulit, & omnes regiones, & insulas libera peragravit, tunc externis oblita moribus, ac fœdata, avitam salubritatem amisit, & a mascula virtute degeneravit. Hinc Mysia, Phrygia, Caria, omnesque Asiæ minoris plagæ, cum crederent omnem facundiæ vim verborum copia contineri, inanes voces, quasi complementa numerorum inculcarunt, ac tantum sollicitæ, ut multa dicerent, vano tantum sonitu, ac pene boatu miseram eloquentiam implevere. Tunc illa & Isocratis dulcedinem, licet aliquibus nimio studio conquisita videretur, tunc Lysiæ elegantiam, tunc Æschinis granditatem, acumen Hyperidis, ac vim Demosthenis desideravit; qui omnes cum dissimillimi inter se essent, in eo tamen ornatu, qui oratoris proprius est, convenientes, oratorum nomen merito obtinuerunt. Quæ enim alia caussa est, cur hic, qui græce, aut latine scribit, ille pariter, qui græca, aut latina scri-

Digitized by Google

ptione utitur, hic communi omnium consensu probetur, ille vero ab omnibus rejiciatur? Immo ille ipse, qui easdem phrases, easdem loquendi formas usurpavit, alius ab eo appareat, qui iisdem vestigiis institit, neque a Tullio, neque a Demosthene in verborum delectu discrepavit? Non est igitur latina, non clara locutio, quæ hanc laudem pariat; est color quidam oratorius, qui concipi mente potest, verbis exprimi satis non potest; sunt figurarum lumina, quæ opportuno sale conspersa, & aculeis referta suis, admirabilem orationem faciunt; est varietas, est copia illa, quæ si sapienter adhibeatur, non modo tædio non est, sed summæ etiam jucunditati, cum eadem variis ornata schematibus, variis distincta floribus, variis permixta affectibus, alia a se ipsa videantur. Quocirca, ut id quod initio diximus, concludamus, hæc potissima adolescentibus cura, & cogitatio suscipienda est; ut

Digitized by Google

ut quæ animo jam reperere, ac puro ſtilo explicare deſignarunt, ornatu tandem oratorio perficiant. Latina, & candida dictio ſolum, & quaſi fundamentum eſt, quo moles hæc excitari debet, & exornari: illic omnis adhibenda diligentia, huc omnis ingenii vis convertenda. Nihil illis deeſſe poteſt, ſi ad eum, propter quem huc e remotis quoque regionibus convenere, finem contendere velint; quotidie manibus Latini ſcriptores teruntur, unde omnis elegantia, & nitor erui poteſt, & ad optimam ſcriptionem parari; quotidie Livii, Nepotes, Salluſtii, & qui ad hanc rem conſequendam accommodatiſſimus citari unus maxime poterat, Tullius quotidie explicatur, recitatur, ad imitandum proponitur; quem, ſi quantum uniuſcujuſque vires patiuntur, habebunt ante oculos, neque a ſe removebunt, nihil aliunde ad germanam latinitatem, nihil ad ſolidam facundiam poterit deſiderari. Ex

quo

quo enim Sapientissimus ille vir, ac vere divinus, Venerabilis Gregorius Cardinalis Barbadicus munificentia plane sua, & præteritis anteferenda seculis, omnium honestissimarum artium, ac disciplinarum domicilium aperuit, ac linguæ latinæ purissimos huc fontes derivavit, tot nobis, ac tanta præsidia patuerunt, ut nihil aliud supersit, nisi ut tantæ nos liberalitati respondeamus. Sunt latinæ, sunt Græcæ litteræ, quibus instructi ad aliquam eloquentiæ laudem nobis viam muniamus; & quod caput est, adest ille nobis, nos spectat ex æternis sedibus, ubi virtutum suarum præmio jamdiu fruitur; aderitque nobiliore titulo, cum Sacrosancta Romana Ecclesia, quod jampridem parturit, tandem pariet. Atque hic da mihi veniam hanc, Cardinalis amplissime, Joannes Francisce Barbadice, ut omnium bonorum nomine tibi gratuler, quod summo Immortalis Numinis consilio factum sit, ut non solum eum locum

cum teneres, quem Patruus tuus omnibus ornamentis decoravit, verum etiam, quod nemini fortasse post hominum memoriam contigit, ejus Corpus recenti Summi Pontificis Decreto e tumulo eruendum, tuis ipse oculis intuereris. Recurret animo, *cum sacra illa pignora in decentiorem Sedem transferentur*, recurret animo heroica ejus virtus, qua omnia mortalia, & caduca semper contemsit; recurret incredibilis animi excelsitas, quam cum humilitate, virtutum Christianarum splendidissima, perpetuo conjunxit; recurret morum suavitas, qua Episcopalem dignitatem verendam simul, & amabilem reddidit; recurret etiam illa singularis benevolentia, qua litteras nostras, filiolas vere suas, pubescentes adhuc, & in aliquam spem crescentes complexus est, & dote auxit, quas cum Tu foveas præsidio tuo, & patrocinio sustentes, nihil ad tuæ felicitatis cumulum posse amplius accedere existimo.

AR-

ARGUMENTUM
TERTIÆ ORATIONIS.



Non dubito quin prudentissimi viri nostrum consilium probent, qui præsentem orationem in ornatus indole explicanda potissimum occupemus. Etsi enim superiore non pauca attigimus, quæ ad Rhetoricæ ornamenta pertinebant; præcipuus tamen, quem spectavimus, is finis fuit, ut ostenderemus, non esse in oratorum album referendos, qui latine quidem, & eleganter loquerentur, sed ornatum illum negligerent, quo uno oratores a reliquis scriptoribus secernuntur. Multa de latini sermonis nitore dicere, multa de iis, qui au-

 rea

rea Ciceronis ætate Romæ loquebantur, attingere tunc licuit. Reſtat nunc, ut non pauca de illa parte, in qua ſeſe effert, ac triumphat eloquentia, de ornatu dicamus. Qua in re optimum dicendi magiſtrum Quintilianum ſequimur, qui docet, oratorium ornatum cum quodam robore, ac ſpiritu eſſe conjungendum, & fruſtra in parandis floribus laborare, qui non agrum, quem colit, lætis quoque ſegetibus, & fæcundis olearum baccis locupletet. Hæc tamen ſaluberrima præcepta plerique Rhetorum negligunt, neque ſibi in animum inducunt, ut credant, poſſe ſimul ſublimia, & pulcra, gravia, & jucunda conſiſtere; quaſi vero qui gladium aureo capulo inſignem diſtringit, hoſtem ferire, & præſtanti forma pugil adverſarium loco movere, aut in ſe irruentem exigua corporis declinatione evitare non poſſit. Itaque primum oſtendo, quam ſit difficile, modum in ornanda oratione ſervare, cum in proxima virtutibus vitia facile prolabamur, ac verum reipſa

illud

illud esse experiamur, quod Horatius ajebat, cum sui temporis poetas sugillaret:

. . . . . sectantem lævia, nervi
Deficiunt, animique; professus grandia, turget;
Serpit humi tutus nimium, timidusque procellæ.

Ex immodica, qua multi flagrant, ornandi cupiditate, demonstro, quam absonas, & inconditas figuras, & translationes effundant, eoque tandem rem deducant, ut tanto pulcherrimarum rerum, quemadmodum appellant, apparatu, non modo Audientes non oblectent, sed etiam satietate, ac tædio afficiant. Ultimo loco eos laudo, qui in ornando sobrii sunt, neque nimia poliendi cura lasciviunt; sed hic quoque suus morbus est, qui tanto est perniciosior, quanto magis intempestivæ sedulitatis nomine tegitur. Nolumus homines in coloribus oratoriis inducendis intemperantes, nolumus eos omnia ornamenta in publicum proferre, quæ domi asservant; nolumus con-

tra tam parcos, ac jejunos, ut macie sterilescant. Si M. Tullium, ducem certissimum, ac veram orandi regulam pro virili imitari conentur, non dubito, quin illa vitia effugiant, quæ in hac oratione præsertim insectamur, quæque in caussa sunt, cur vel tumidi, vel humiles appellentur.



ORA.

ORATIO TERTIA.

Non satis est ornate dicere, nisi ornatum vigor, ac robur consequatur.



SI quantum e perspecta semel, & iterum doctissimorum hominum in me audiendo humanitate, de timore mihi detractum est, tantum huic ingenio ad inceptum iter naviter persequendum accederet eloquentiæ; animo multo alacriori hodierna die suggestum conscenderem, & quam anno præterito, cum Rhetoricum ornatum paucis adumbraremus, obligavi fidem, erecto nunc demum vultu liberarem. Verum in Ora-

toriæ facultatis adyta propius inferenti pedem, & quantum imbecilla mentis permittit acies, in ejus indolem, & præstantiam intuenti, tot, ac tanta undique obstacula occurrunt, ut omnis, qui paululum sese extulerat, mihi cadat animus, & spem prosperi cursus obortam, metus iterum importunus intercipiat. Nimirum pars illa Rhetoricæ tractanda est, ubi omnia dicendi ornamenta, & quidquid venustatum, ac leporum usquam est, tanquam in suo regno, facundia explicat; ubi gravitas orationis, & suavitas, rationum firmamenta, & facetiarum sales, lacertorum firmitas, & oris honesta conformatio, per varia tempora, & multiplices figuras temperata, mirabili inter se ratione conjunguntur. Quis autem est tam excellenti, ac divina sapientia, qui tam diversa, tam discrepantia, ac prope contraria munia felicissime obire possit? Non desunt industrii homines, qui optima ad dicendum in-

inveniant, & commode etiam inventa disponant; at qui fœtus suos ita nitidos in lucem emittant, ut novitate placeant spectantibus, eorumque animos vi quadam insita moveant, sibique subjiciant, non est ita facile invenire. Multi enim, dum suo nimium indulgent ingenio, & multitudini lenocinia, & pigmenta cupide conquirenti dum student, alii in turgidam, in mollem alii locutionem incauti labuntur: utrique interim probo illo carent sanguine, qui per singula membra sese diffundens, omnesque venas permeans, tantum unicuique parti tribuit, quantum ad vividum, ac sincerum eloquentiæ colorem satis est. Ecce vobis hodiernæ orationis tota ratio, ac summa: plerique eorum, qui dicunt, siqua virtute valent, & robore, vel immodica obruunt ornamentorum copia, vel dicendi humilitate debilitant, ita ut suavis quidem eorum oratio sit, comta, figurata, minime au-

tem fortis, ac virilis, quæ in Audientes influat, eosque vincat, qualem divinus Præceptor Quintilianus postulabat. Non satis ergo est ad perfectam eloquentiæ possessionem latine dicere; non satis dicere dilucide; neque vero ornate dicere satis est, nisi ornatum vigor quidam, ac robur consequatur. Quod ubi vobis exposuero, tunc illud ultimo loco efficiam, si adolescentibus in tam ancipiti discrimine versantibus peccandum est, minus malum esse, ea in parte peccare, quæ corrigi aliquando, quam quæ nullo amplius remedio sanari possit.

Ornatus naturam, qui non acri cogitatione excutiat, sed ejus tantum nomen e longinquo intueatur, credet profecto, ubi ne minima quidem difficultatis suspicio sit, nos de industria confingere, & in re omnino plana salebras quæritare. Cum enim ille dicatur ornare, qui rebus ante sapienter excogitatis, & in suas veluti classes op-

por-

portune dispositis, postremam admovet manum, & apto sententiarum, verborumque nexu suum quasi colorem inducit; non tanti negotii videtur esse, ut molli propterea relicta culcita, debeat integras vigilare noctes, & a cibo sæpe, ac potu abstinere. Qui enim labor tandem est, postquam solida construendæ fabricæ jeceris fundadamenta, & ædes magnificas, quas moliris, in peristylia, in atria, in cubicula, & conclavia distribueris, singulas sensim expolire partes, & marmorea hic Polycleti, & Praxitelis signa, illic elegantissimas Apellis, & Zeuxidos locare tabulas, omnemque domum, qua conchyliatis peristromatis, qua auro, qua argento varie elaborato exornare? Ego vero, si quis est tam navo ingenio præditus, qui universam orationem lectissimis vocibus, ac figuris ita explicet, distinguat, augeat, illuminet, ut nihil usquam dissonum sit, nihil asperum, nihil redun-

dundans, nihil durum, tantam ei felicitatem ex animo gratulor, utque in ſuſcepta provincia ſtrenue perſeveret, unde non exigua laudis merces ſperari poteſt, vehementer hortor. At quotuſquiſque eſt, qui fervido excellendi in elocutione ſtudio, ultra omnes leges ſe rapi non ſinat, & quam mente conceperat, ſtyli ſublimitatem, non modo non aſſequatur, ſed in ſpumoſam, & latius exundantem dictionem deferatur? Neque enim, ut in manufactis, ſatis eſt aliunde ornamenta colligere, & pro politiſſimorum hominum guſtu parietibus interſerere, etſi in his quoque non mediocri arte, & induſtria opus eſt; ſed ſplendida eloquentiæ lumina una cum ipſis rebus coaleſcere, ac pene innaſci debent, ut omnis, qui inde exiſtit, decor, & pulcritudo non adventitia, ſed genuina videatur. Hoc eſt illud, quod in præſentia urgeo, & quod omnium puto difficillimum. Quemadmodum enim

vir-

virtus inter duo extrema ita media est; ut si in alterutrum deflectat, virtutis nomen, & formam amittat, & sumtuosi dicantur, qui magnificentiæ, audaces, qui fortitudinis modum prætererint, ita suis certis finibus oratorius ornatus circumscribitur, quos qui egrediuntur, in aliam naturam evadunt, & a recto eloquentiæ itinere quam longissime abscedunt. Quam vero facile præscriptos terminos perrumpimus, cum ipsa ornatus vitia virtutis habitum simulent, ac pro virtutibus passim venditentur? Nam cum ad Audientium animos alliciendos, eosque in admirationem erigendos, in id suas curas conferant oratores, ut quæ vulgaria, & ante pedes posita videri possunt, posthabentes, nova venentur, & peregrina, eaque cultu sermonis locupletissimo instruant; qui tumidam, ac supereffluentem dicendi copiam affectant, putantur ferri in sublime, & decentibus figurarum flosculis

lis locutionem conspergere, qui delicatula, & effeminata blandiloquentia lasciviunt. Ea enim eloquentiæ conditio est, ut cum ceterarum artium professores ad suas disputationes audiendas eos tantum admittant, qui eorum, de quibus disserunt, credantur satis periti; debeant Oratores promiscuè omnes recipere, suosque sensus populo expromere, qui cum dicentes non ex toto, sed ex quibusdam tantum partibus metiatur, palmam plerumque deteriori decernit, eumque putat ornatissimum, qui vitiis maxime emineat. Populum autem cum dico, leviter tinctos eruditione homines intelligo, qui cum supra vulgus pauxillulum sapiant, reliquum agmen, quo placet, ducunt; qui floridiora in picturis, falsas in cantu voculas, in poculentis prædulcia avidissime sequuntur; carnem, ossa, ac nervos, quibus totum orationis corpus componitur, suamque firmitatem, ac succum accipit, quia minime extant,

tant, minime curant. Hinc immania illa verba ad feriendas plebeculæ aures temere conglobata; illæ translationes tam inverecundæ, ut ipſas, credo, pudeat exire e latebris, & in lucem proferri; illæ metalepſes ex ultimis regionibus accerſitæ, quas ut intelligas, infiniti tibi calles, ac prope mæandri obeundi ſunt; vaſtæ ſimilitudines tam multiplici, ac diſcordi verborum congerie compactæ, ut facilius Pelion, & Oſſam Olympo admoveas, quam rerum genera inter ſe penitus pugnantia conjungas. Non ego hic univerſim ſchemata, multo vero minus metaphoras exagito, quarum uſum nemo unquam ſanæ mentis negavit; ſed quemadmodum Alcidamas [a] ab Ariſtotele reprehendebatur, quod figuris, non ut ſcitamentis, ſed ut cibis uteretur, ita non leviter mihi peccare videntur, qui illa ipſa, quæ ſunt optima, vertunt in vitium, & præclara alioquin oratio-

nis

(a) *Rhet. lib. 3. tex. 67.*

nis insignia nimia frequentia corrumpunt. Qua in re non infimi modo, sed primi etiam subsellii scriptores tum e Græcis, tum e Latinis graviter deliquerunt, neque alia de caussa summus Philosophus Plato (a) inter poetas collocatur a multis, nisi quod cum grandem, & excelsum stylum meditaretur, majoremque verborum, quam rerum curam susciperet, audacibus, poeticisque figmentis dialogos suos plus æquo coloravit. Est enim quando oporteat sine veneribus, & Gratiis veritatem nudam producere, & Auditorem simplici sermone docere; est & quando oporteat animos, & vires rebus addere graviore dicendi genere: at mediocria, & sua natura lenia ingenti figurarum apparatu exaggerare, perinde est, ac si tonantem Jovem, cœlumque, ac terram nimbis, ac fulguribus permiscentem describas, cum ille, deposito jamdudum fulmine, nectar,

(a) *Cic. in Orator.*

ctar, & ambrosiam Juventa ministrante, una cum Cœlicolis hilari, lætaque fronte mensæ dulcissimæ accumbit. Nunquam enim fieri potest, ut ad naturam proxime accedant, ut moveant, ut flectant, qui ejusmodi monstra confingunt, cum alii tragædias in nugis agant, alii in orationis mollitudine, & lævitate, tanquam inter violas, & lilia versentur. Nempe e præceptorum monitis, qui audiunt, oblectandi sunt, neque Tullius in Judicum animos obrepsisset, nisi suas eloquentiæ blanditias, deliciasque miscuisset. Quid tibi aliud expectandum est, nisi ut elegantissimi homines te in Hesperidum, & Alcinoi hortos deducant, & variis undique collectis floribus sinum impleant? Nihil hic turgidi metuas, nihil asperi; ver hic perpetuum est, ubi oculos rerum varietate pascas, & aures defessas dulci periodorum concentu reficias. Erit qui tibi *violæ pallorem*, *qui rivuli* e rupe decurrentis murmur, *saxuli* per sum-

ſummas undas jacti reciprocos flexus ad vivum exprimat, & in his omnes induſtriæ nervos exerat. Erit etiam qui montes, qui nemora, qui flumina inter ſe colloquentia de rebus maximis ita introducat, ut quæ nunquam Senatus Romanus in Curia, illa ſenſus expertia uno momento temporis efficiant. Similia his habentur in Sextiana, cum infandæ civium cædes a Clodianis in foro factæ, cum Reipub. funeſtus ſtatus ob oculos ponitur, cum ſuperciliosſus Piſo, calamiſtratus Gabinius in concionem producuntur. Quid quod in eadem Sextiana Orator, relicto reo, ad comitia, ad leges, & ludos digreditur, multa de optimatibus, multa de popularibus verba facit, *ut omni ex genere eum orationem aucupari, & omnes undique floſculos carpere, ac delibare* dicas? Jam vero in Catilinam præter omnium expectationem Roma ipſa repente ſurgit, & impendentium malorum metu excitata,

tata, in nefarii sceleris principem tam acriter invehitur, præsentemque deterret, ut noctu cogat ex Urbe profugere. In Cœliana Appius Cæcus evocatur e tumulo, ut gravitate censoria Clodiæ suæ gentis feminæ, ab avito splendore degeneranti, nimiam vivendi licentiam objiciat, & a dissolutis moribus ad bonam frugem, si fieri possit, convertat. Enimvero Tullii hypotyposes, digressionesque cum vestris scitis descriptiunculis nullo modo sunt comparandæ; vobis ille hanc laudem ultro concedit, ac vestram esse totam fatetur: non novit ille in judicio capitis *aureas comas*, *aut purpureas vultus rosas* exquisito Poetarum penicillo depingere, & sexcenta synonyma per lepidas definitiones, & adjuncta coacervare, fateor; non novit. Maluit Romanos populares suos e rostris jejunos, sitientesque, quam immensæ hujus voluptatis plenos dimittere. Quid illa pulcherri-

ma * *ἀντίθετα, ἰσόκωλα, πάρισα, ὁμοιοκατάληκτα* tanto cum Græciæ plausu a Gorgia Leontino in eloquentiam quondam invecta, ut dies, quibus apud populum diceret * *ἑορταί*; ejus autem orationes * *λαμπάδες* vocarentur? Viden', ut omnis concio rei novitate hæreat mirabunda, ut trepido pectore, ut ore hianti singulos verborum lusus excipiat? Quam belle permulcent aures, casus, & exitus similitudine; vocabula prope cognata, diversos tamen, & argutos sensus complectentia? *Multis calamus calamitates peperit. Plerique, ut famam acquirant, fame pereunt. Lyæo sæpe, Lyceo rarius, delectaris. Pulcrum est amari, si cures nequid insit amari.* Papæ! Mel istuc Hybleum est; immo ipsissima Suadelæ dulcitudo. *Hic per avia perfugæ aves perfugium nactæ ingenito ingenio ignotas notas concinne concinunt.* (a) Pulcre, bene, recte, clamabit, *pallescet*

* *Contraposita, comparia, similia, similem vocis sonum complectentia.* * *Dies festi.* * *Lumina.*

(a) *Horat. de Arte Poet.*

ſcet ſuper his, etiam ſtillabit amicis ex oculis rorem, ſi ad hæc feſtiva ſchemata audienda ſemidoctorum turba conveniat; cordatiſſimi autem viri, qui cincinnos ſevera, & honeſta matrona indignos putant, vel ſuaviſſime interea ridebunt, vel miſeram eloquentiæ deflebunt vicem, quod a nugigerulis hiſce cerdonibus cogatur hiſtrionicam facere, ac tanto cum ſuo dedecore ineptire. Ita ne facundiæ majeſtatem cum ſuſtinere verborum, & rerum pondere maxime debeas, te calamiſtris fœdare, & per levia, nulliuſque frugis propoſitum oratori finem invertere? Ita ne cum Auditorum animis faces ſunt admovendæ, cum pudor, cum dolor, cum metus injiciendi, te ad jocos, & facetias confugere, & inanem multitudinis clamorem a vocum cognatione captare? Non equidem inficias eo, in epidictico genere, quod ad Audientium potiſſimum voluptatem inſtituitur, de forenſi contentione remitti ſo-

 lere

lere multum, & omnigena prope ornamenta jure suo in publicum prodire: si Tullium tamen in hac arte principem, si ceteros Oratores consulimus, sobrie admodum, nec sine aliquo sale ad hæc *ὁμοιοτέλευτα devenere. In familiari amicorum consuetudine, in fabulosis, jocosisque sermonibus, cum servos irridere velis, minusque catis hominibus per ænigmata os sublinere, ut lubet, quantum lubet, sino, ludas, ac si tanta sitis est, ad Plautum etiam duco, harum jucundissimarum nugarum fontem fortasse ad fastidium usque fœcundissimum, At rebus gravissimis, omnemque dicentis prudentiam, & robur postulantibus, figuras tam ineptas identidem obtrudere, & maximam Orationis partem ita jocando consumere, puerilis quidem certe indolis est, ne dicam insipientis. Verum Apollini, Musisque omnibus libemus pateras, earumque aras croco, & flo-

* *Similes exitus habentia.*

& floribus aſpergamus, quod virulenta ſcabies, quæ proxime elapſo ſeculo per Italiæ fines graſſata fuerat, & vivida etiam ingenia ſoli contagione nonnihil attigerat, diſſipata tandem ſit, & priſtina eloquentiæ ſanitas reſtituta, ac tam nitida, tam ſincera, & incorrupta in multis revireſcat elocutio, ut videantur illa mihi tempora rediiſſe, quæ Bembos, Palearios, Sadoletos, Manutios, Muretoſque complexa, feliciſſimam Auguſti ætatem non obſcure nobis retulere. Non amplius in paronomaſiis, & commutationibus inculcandis, in contrapoſitis, & quadragenis translationibus uno ſpiritu effundendis noſtri homines occupantur; eſt figurarum uſus, at opportunus; eſt dicendi ſuavitas, at non dulcis, & decocta; eſt ornatus, at fortis, & virilis eſt: phaleras, ampullas, ſeſquipedalia verba in eas regiones abegere, quæ fuco, & vento paſcuntur. Illud unum tantum in quibuſdam magnope-

re vereor , ne dum nimis anxie medium , quod certe eſt optimum , conantur complecti , & a vitiis inſignibus ſibi vehementiſſime cavent , in id , quod minime prævident , humilitatis , & languoris vitium incidant . Sunt enim nonnulli ab eximia naturæ, & animi celeritate ad ſententias magnificas concipiendas , eaſque figurarum ſplendore illuſtrandas mirifice facti ; ſed hi partim pudore quodam ſuo , partim triſtium cenſorum metu (ut omnis Rhetorum natio ſubmoroſa eſt , & ſeverior) ita pretioſiſſimam ſupellectilem domi recondunt , ut in apertum nunquam educant , & partus ingenio ſimiles enitantur . Neque vero , ita me ament Superi , ad eloquentiæ commendationem unquam emergent , niſi verecundiam aliquando intempeſtivam a ſe removeant , eoſque ſibi ſcrupulos evelli patiantur , qui in cauſſa præſertim ſunt , cur reptent humi , & inter vulgares cenſeantur . Nihil eſt , ſi eo-
rum

rum dictionem ad examen revoces, quod possis reprehendere, sed nihil tamen est, quod possis potiori jure laudare; nihil peccant, nisi quod nihil peccant: periodi molliter fusæ, neque tenebris ullis impeditæ: figuræ suum singulæ locum obtinent; metaphoræ sanæ, & ab impudentia alienæ; loquendi genus planum, ac venustum; spiritus vero, & vigor dicentis, qui cum brachium concalefecerit, ardet, & fulgurat, penitus desiderantur; deest orationis ubertas, & mentis illi raptus, qui quanto periculo propiores sunt, tanto majorem in nobis admirationem excitant; flammulæ nonnunquam intermicant, sed torpidæ, ac segnes vix exortæ misere occidunt; ut de his haud injuria pronunciarit Longinus(a): * *τὸ ἐν παντὶ ἀκριβὲς, κίνδυνος μικρότητος*. Videlicet quæ innumeris cautionibus, & quasi custodiis mu-

(a) *De sublim. Sect.* 33. * *Nimia in omnibus diligentia sæpe in caussa est, ut humiles evadamus.*

Digitized by Google

niuntur undique, & ab omni tumoris, & lasciviæ suspicione, aliquid subtrahendo, limando, poliendo sepiuntur, non possunt non maciem aliquam præseferre. Video non omnia esse ab omnibus postulanda; pro suis unusquisque viribus, pro argumenti, de quo disputandum est, varietate, pro ducis, quem sequendum delegimus, virtute, ita fere orationem fingimus, flectimus, figuramus; alii aliis sublimiores sunt, alii aliis politiores, quos tamen in suo quemque genere probare merito debes, & propter excellentem animi alacritatem, qua ad summum fastigium contendunt, etiam commendare. At difficile iis laudis partem aliquam communicamus, qui præcipites lapsus metuunt, si quando e nido pennas altius extulerint. Piaculum est apud illos, si cum in eadem caussa versentur, eadem dicere videri possint; sententiæ, quæ poeticum quiddam redoleant, & tantillum luxurient, omnino exulant;

le-

lepores, & urbanitates, quod frigidæ plerumque sint, & rideantur, rarissimæ sunt; nullæ illic superlationes, quæ hominum fidei repugnant, tropi nulli, qui non acerrimum Criticorum judicium ante subjerint. Modestus enim, ajunt, & verbis, & sententiis, & figuris ubique Tullius, quem imitamur. Macti animis, viri, tam egregio antesignano præeunte, certa vobis parata victoria est. Quid si ego in Tullio interdum reperio, quæ si vos reperiatis in aliis, cœlum, & maria misceatis? Quid si ejus omnes orationes amplificatione constant, hoc est ea parte, quam vos tanta cum religione tractatis? Atque ut ceteras omittamus, quæ venustas, quæ vis, quæ pulcritudo Milonianæ, divinæ illi orationi, si semel tantum Milonis innocentiam, Clodii improbitatem percurrisset orator, neque in iisdem rebus sæpe, ac sæpius per varias figuras esset immoratus? An non prope totam eloquentiam exhausit,

sit, cum easdem personas, eosdemque eventus relegens, in omnes motus, dicendique formas orationem effinxit, modo per exempla, modo per effectus, modo per ea, quæ antecedunt, quæ consequuntur, rem ita auxit, ut Reipublicæ, delubris deorum, totique Italiæ illata ab immani monstro mala nova semper videatur proferre? Quid audaciores sententias memorem? Illam ne in Pisonem? *In quo convivio ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.* An illam in Verrem? *Negabat*, inquit, *mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum.* An illam pro M. Cælio? *Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimum Cæcus ille; Minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit.* Quid hyperbolem in oratione pro Sextio de Pisone? *Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo supercilio Respub. tanquam Atlante Cælum, niti videretur.*

Ad-

Digitized by Google

Adde translationes : *Quærebam , utrum panderem vela orationis statim , an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem . Experiamur , si possumus , cornua commovere disputationis tuæ . Urbem , mihi crede , Philosophiæ proditis , dum castella defenditis .* Adde & illa : *Tempus hoc mutum est a litteris . Hyems senescit . Rumor raucus est .* Ita ne Tullius ? Ita ille , cujus fraterculos vos in vulgus jactatis . Neque librariorum incuria est , in quos licet immerentes , si forte fortuna ad non provisos locos deferamini , culpam statim confertis . Præclare tecum agitur , M. Tulli , qui perpetuo omnium ætatum consensu veræ eloquentiæ exemplar habitus , sine ulla controversia inter Oratores principatum obtines ; parum enim absit , quin rigidi oratoriæ modestiæ custodes te in ordinem redigant , & aqua , & igni , ut olim contigit , interdicant . Ne credas tamen te impune ex istorum manibus elapsurum . Quæ singularia , in-

quiunt, in Tullio, & a communi loquendi consuetudine abhorrentia occurrunt, digna sunt, quæ diligenter animadvertas: non continuo, quæ casu, aut necessitate ei exciderunt, tibi sunt imitanda; suos & ipse, sicut ceteri, nævos habet, concertationis impetu abreptus, suisque pene manibus agitatus, multa effudit, quæ si excitetur ab inferis, transverso calamo deleat; & his meliora reponat. Mirum, ni e gurgustio aliquo etiam Rufus[a] exeat, *Rufus, qui toties Ciceronem Allobroga dixit*. Quid enim restat aliud, nisi, ut mutata repente facie, in Rhetorico ludo Grammaticos agant, & Romano homini verba impropria, barbara, *σόλοικα objiciant? Videtis, Auditores, quam absurda, ut metum suum hujusmodi homines honesto aliquo titulo prætexant, proferre cogantur. Quæ omnia si concedimus, jam, per me licet, eloquentiæ, donec de ejus libertate ve-


(a) *Juvenal. Sat.* VII. * *Solæcismos*.

Digitized by Google

vestro quoque suffragio constet, vindicias secundum servitutem decernite: At si vos nutu, & admurmuratione ipsa significatis, aliud esse insulsis figuris orationem universam refarcire, aliud erigi, attolli, atque adeo effervescere; aliud esse cautum, aliud superstitiosum, cur non ego id efficiam, quod initio proposui; meliore esse multo conditione, qui felicissime in dicendo assurgat, licet interdum non rectum iter teneat, quam qui pede incedat inoffenso, nunquam tamen se se efferat? Nolim equidem adolescentibus majores, quam par est, animos addere, cum plerique sponte sua grandia, & sublimia meditentur; sed certe illa vitia, quæ virtuti propiora sunt, & futuræ suo tempore plenæ messis non dubia signa, feram non gravate; humilitatem vero, qui in reliquas ætates perniciosissimus morbus est, neque ulla tunc ratione depellendus, non lubenti animo feram. Scribant illi multa, etsi

etsi immatura, & indigesta, non omnino improbabo: fucata aliquando, turgida, redundantia afferant, non reprehendam: orationem tropis, figuris, translationibus non solum ornent, sed etiam onerent, non rejiciam. Hac via ad summum fastigium, quod merito occupant, Oratores, & Poetæ pervenerunt. Luxuriantem stylum, & turgescentem dictionem judicio, & temporis diuturnitate coercuerunt. Ita juventuti nostræ posse aliquando contingere, si urgeat diligentia, & contentione incœptum opus, spondeo, sancteque recipio: neque alia, Auditores, vestra opinio est, qui cum de adolescentibus præsertim agitur, longe gloriosius iis esse arbitramini, si cadendum est, e cœlo cadere, quam humi semper jacere.

ARGUMENTUM
QUARTÆ ORATIONIS.



Diu multumque quærendum mihi non fuit, quid potissimum huic orationi præfarer. Cum enim antea de tribus elocutionis partibus egerimus, quæ oratori ad dicendum sunt prorsus necessariæ, hoc est, ut latinam, perspicuam, & ornatam orationem afferat; postrema supererat, ut quantum intersit apte dicere, & congruenter, explicaremus. Quem quidem locum latissime patentem paucissimis verbis in libris de oratore Tullius complexus est, cum dicendi unum, idemque genus negavit omni caussæ, auditori, ac tempori convenire.

nire. In libro autem, quem ad M. Brutum oratorem instituit, suam sententiam copiosius explicat, quamvis eo tandem deveniat, ut affirmet, omnem hanc de decoro cognitionem a sapientia pendere. Itaque Quintilianus, qui non cum disertissimis viris colloquebatur, quemadmodum Tullius, sed tyrones suæ fidei traditos ad eloquentiam quasi manù ducebat, peculiarem de hac re disputationem induxit, putavitque, totum hoc, apte dicere, non elocutionis tantum genere constare, sed esse cum inventione commune. *Si enim in scribendo non solum verba, sed etiam res ipsæ diligenter examinandæ sunt, studioseque videndum, num Auditoribus, loco, tempori, & oratori optime respondeant; profecto hæc obtineri non possunt, nisi quis ante eos fontes adierit, unde ad probandum argumenta opportuna, vocesque a rebus non alienæ desumuntur. Quemadmodum igitur præterita oratione, cum de ornatu ageremus, ab adolescentibus ingenium uber-*

uberrimum deposcebamus, *ita nunc ab iisdem de decoro differentes judicium adhiberi volumus*. Ille enim, *Fabio teste*, demum apte dicere creditur, qui non solum quid expediat, sed etiam quid deceat, inspexerit. *Cumque hæc conjuncta fere inter se sint, non potest utilitatem ab eo, quod decet, sejungere. De Historicis, & Poetis video multo plura dici potuisse; sed longius excurrere præsertim in argumento tam amplo visum est ejus, qui velit, quocumque modo possit, & unde unde, pagellas implere. Hæc enim ipsa, quæ dicimus, morosis præsertim, & curta postulantibus, sunt nimis fortasse multa.*



ORATIO QUARTA.

Habenda decori cura.



Ræſtantiſſimum illum totius antiquitatis in agendo artificem Roſcium ferunt, cum abeo quæreretur, qua tandem arte ad tantam ſcenicæ venuſtatis laudem perveniſſet, ut qui in aliquo excelleret artificio, ſpecioſo Roſcii nomine donaretur, nulla alia ſe id eſſe aſſecutum ratione reſpondiſſe, niſi quod rerum, ac perſonarum naturam, quam proxime fieri poſſet, imitaretur: caput enim artis eſſe, decere. Præclariſſima ſane vox, & digna, quæ ab honeſtiore viro, quam ab hiſtrione emit-

tere-

teretur. Sed ille tamen suæ facultatis longe scientissimus, & vel clarissimis aureæ ætatis oratoribus ad imitandum in actione propositus, optime intelligebat, quæ in se summa essent, & ad hominum commendationem unice facta, gestus concinnitatem, mollem, ac flexibilem vocem, motumque corporis, quocunque se verteret, non indecorum, ab attenta ejus, quam exprimebat, fabulæ animadversione profluxisse. Id enim consequebatur, ut cum omnem, quam erat repræsentaturus, Comædiam domi mentis oculis perlustraret, eventusque in ea singulos, vicesque rerum varias evolveret, in ora deinde hominum productus, non modo nihil vitii in pronunciando admitteret, sed congrue, & eleganter partes peragendo suas, incredibili voluptate spectatores perfunderet. Quæ insignes corporis virtutes adeo illum extulere, ut ad ejus similitudinem oratoriam laudem Crassus dirigeret, eæ-

dem cum animi virtutibus in oratore conjunctæ, in primis subselliis dicentem collocant, si, quæ ad eloquendum comparavit, apte dixerit, & congruenter. Sint enim licet lectissima verba, & e purissimis latinitatis hausta fontibus, sint graves licet, sublimesque, quibus tanquam flosculis conspergitur oratio, sententiæ, periodi sint affabre, industrieque confectæ; si alieno loco, ac tempore ponantur, idem faciunt, ac pretiosissimæ gemmæ crassis contextæ vestibus, quæ suum ipsæ lumen statim amittunt, & rerum vilitatem suo ipsæ splendore magis patefaciunt. Habenda videlicet multarum rerum ratio est oratori; habenda loci, habenda temporis, personarum, apud quas dicit, habenda ratio: cum sæpissime contingat, ut quæ primo aspectu ad suavitatem, gravitatemque orationis elaborata ornamenta videbantur, posita mox ante oculos, & paululum excussa, inania, & ridicula pigmenta re-

pe-
Digitized by Google

periantur. Sentio me in difficili, ac salebroso hodierna luce argumento versari, quod non oratores solum, sed etiam poetas, historicos, & quicumque demum stylum aliquo modo exercuere, complectitur, cum mihi prudentia, quanta in juvenilem ætatem cadere potest, nostris adolescentibus præcipienda sit, quæ virtus in ipsis confirmatæ doctrinæ viris interdum requiritur, verbisque solemnibus edicendum, ne tantum ingenio in scribendo obsequantur suo, ut nullus, aut exiguus judicio locus relinquatur. Non desistam tamen hujusce muneris, ut hanc quoque elocutionis partem persequamur, quemadmodum privatim facimus; illos publice etiam commonefacere, neque dubito, quin dictis obtemperaturi sint, postquam illis ostendero, ut in vita quid deceat, ita in oratione, quid aptum sit, quid absonum, videre, rem esse difficillimam, tantoque majorem habendam decori curam esse,

quanto pauciorum eſt, hæc omnia exequi citra culpam omnem.

Si philoſophos, non illos quidem ſeveros, ac triſtes, ſed paulo elegantiores, humanioreſque conſulimus, ubi de officiis inter ſe diſputant, & ad vitam liberaliter tranſigendam ſatis commoda præcepta tradunt; nihil in civili communitate verſantibus frequentius, acriuſque inculcant, quam ut diligentiſſime, quid in re unaquaque deceat, dedeceatve, animadvertentes, mores, ſenſuſque ſuos ad ſaniorum opinionem, conſuetudinemque componant. Neque vero Rhetores, cum ad hujuſce partis tractationem devenere, in præcipiendo parci ſunt, aut de oratoris gloria minus ſolliciti; imo rei, quæ in diſputationem venit, difficultate mature perſpecta, identidem dicturum monent, ut in omni cauſſarum genere ſedulus decori cuſtos, orationem ſuam ita ducat, ac flectat, ut neque res ampliſſimæ ſub-

ſubtili, neque admodum tenues gravi ſtylo efferantur. Ac philoſophorum documenta cum innuo, nolim quiſquam veſtrum exiſtimet, me eorum pulcherrima, qui de univerſa, de ſingulari natura, de honeſto, & utili diſceptant, ſpatia velle percurrere, eorumque definitiones, diviſioneſque ceteroquin acutiſſimas in medium proferre. Etſi enim ejus decori cognitio, de quo ab illis plurima differuntur in ſcholis, non parum valet ad id, quod quærimus, efficiendum, cum morum inſtitutionem ſimilis plerumque oratio conſequatur; mihi tamen hac in re moderabor, ne videar ipſo ſtatim initio philoſophari extra locum, & ab eo, quod dicenti tantopere eſſe neceſſarium contendo, decoro abſcedere. Attamen ſi rudi, ut ajunt, minerva rem libet deſcribere, & ad oratoris deinde provinciam traducere, id quemque maxime decere dicimus, quod eſt cujuſque ita ſuum, ut ſi ad alterum

transferatur, pristinam formam deponat, & absurdam omnino speciem induat. Atque hoc ipsum, quod decet, cum certis temporis, loci, ætatis definiatur terminis, & arctissimo quasi necessitudinis vinculo colligetur; tam est arduum ad unguem servare, quam solius sapientis est, civium affectus ferme sibi contrarios sine ullo seditionis intestinæ metu simul conjungere. Quis enim in hac communi societate, in qua omnes una vivimus, alius alium quotidie respicimus, colloquimur, cogitationesque etiam reconditas invicem communicamus, sibi constare, ac vere sapere putatur? qui ita cum singulis, cum universis se se gerit, ut nulla vitæ pars a primo illo, quod ad honestatis normam instituit, genere dissentiat, aut si quid etiam dissentit, ut fieri aliquando necesse est in hac humana imbecillitate, & perexigua casuum singulorum cognitione, non tamen temperatam ad excultæ virtutis

æquabilitatem harmoniam dissolvat; qui in jocosis leporem non scurrilem, in seriis severitatem non austeram, in lætis hilaritatem non exuberantem præseferat. Est hoc excelsi, felicis, ac divini cujusdam ingenii, ita naturam tuam conformare, ut si non proberis omnibus, saltem non displiceas, ubi variæ, mutabilesque hominum sententiæ sunt, diversa studia, instituta inter se discrepantia: multum enim refert, si locuturus sis, non solum quid loquaris, sed apud quos, quare, & quatenus loquaris; ut ipsa quoque virtus, quæ neminem unquam tam ferum reperit, quem suo dulcissimo aspectu in sui amorem non pellexerit, si tamen nobis aliud animo volventibus superveniat, importuna, & molesta futura sit. Est enim suus gravitati, suus est comitati locus; est ubi deceat multiplici litteratura sermonem perspergere, neque invitos, qui ad diei horas honeste fallendas tibi assident,

in

Digitized by Google

in græcis, latinisque delibandis aliquandiu detinere; est ubi etiam tua isthæc eruditio, multo collecta sudore, peregrina licet, & frugifera, sordeat, ac frigeat; est quando mollissimis humanitatis officiis, quæ multa vel in minimis profiteri plerique iccirco solent, quod non magno impendio constent, de te bene meriti devincias animum; sed si hæc ipsa notis recinas, vel nimium urgeas, non secus ac ille Terentianus Ctesipho a fratre Æschino, ut ineptus, & invenustus repelleris. Quod si viris longo rerum usu, alienisque exemplis ad actiones suas apte dirigendas condocefactis nihil difficilius visum est, quam quid congruum in vita sit, quid incongruum, cognoscere; quæ mentis ad ea omnia, quæ possunt in oratione contingere, provisio, quæ ad bona, & noxia discernenda sagacitas, quæ ad universa caussarum genera cum laude pertractanda solertia erit oratori necessaria, in

quem

Digitized by Google

quem unum intuentur, quotquot convenere audituri, cujus verba attente excipiunt, cujus vocem, gestum, orisque habitum, num ad argumenti rationem recte revocetur, curiosissime expendunt? (a) Cum enim, docente Aristotele, tria sint, quibus orationis decorum continetur, animi affectus, mores hominis, & res subjectæ, quorum primum ad eos, qui audiunt, alterum ad oratorem, tertium ad controversiam, de qua agitur, pertineat; difficile admodum est hæc ita copulare, ut uno eodemque tempore ad quæstionem propositam rite referantur omnia, & ingenii fecunditas se se latissime extendere connitentis, intra fines certos cohibeatur. Ita enim a natura facti sumus, & instituti, ut nisi plane bardi simus, & plumbei, qua maxime re videmur nobis excellere, sive oratoriam, sive poeticam, sive quippiam aliud liberali homine dignum cogi-

(a) *Rhetor. lib. 3. cap. 13. text. 121.*

gitemus, omnem animi, corporisque contentionem illuc conferamus, promamusque extra nos quidquid pulcri est, & præclari, neque quicquam patiamur præterire, quod ad nominis propagationem aliquo modo prodesse possit. Hanc porro naturæ proclivitatem ferentem hominem ad sublimia, neque sinentem in tanta bonarum artium celebritate, & acutissimis ad gloriam stimulis, obscurum, ac torpidum delitescere, non modo ars non prohibet, sed excitat, & inflammat præceptis suis, quin etiam negligentem si quem invenit, aut cunctantem increpat, edicitque voce clara, neminem unquam inter eruditos locum obtinuisse, qui non admirabile quiddam in sua quisque facultate protulerit; Sed hæc ipsa tamen ars non tantum sibi arrogat, ut a natura, quæ optima magistra est, prorsus deflectat; sequitur hæc ubique matrem suam, nosque, ut sequamur, hortatur, sed ita, ut quæ in illa rudia

sunt,

ſunt, quæ abjecta, quæ vulgaria, adhibitis opportune inſtrumentis, perficiamus alia diſciplinæ acceſſione, alia extollamus verborum nobilitate, alia conſtanti, ac forti ſtylo ſuſtentemus. Quam vero arduum eſt & naturam ſequi ducem, & artem in præcipuam operis partem aſcitam adeo moderari, ut non una ab alterius ornamentis obruatur, ſed magis, magisque poliatur? Fervida enim in eo, qui ad ſcribendum accedit, ingenii ſui oſtentandi cupiditas, incredibilis rerum, quas mente concepit, & ad dictionem paravit, amor in cauſſa præſertim ſunt, cur multi ſpecie boni decepti, æra lupinis mutent, ibique turpiſſime peccent, ubi omnem orationis virtutem ſeſe putarunt effudiſſe. Dic enim, ſodes, quot, & quanta dicturo occurrunt, quæ dici poſſunt, & vere dici, quæ dici nihilominus locus, & tempus vetat? Quot, & quanta, quæ ſileri oporteret, & ſine fraude, quæ

ſile-

ſileri judicum ſeveritas, reorum fortuna prohibet? At ſi quædam in publicum producas, quæ tacere oportuerat, conclamatum eſt; ſi quædam taceas, quæ hominum oculis ſubjicienda erant, periiſti. Quid ſi omnem eloquentiæ apparatum ad Auditorum animos oppugnandos, adverſariorum audaciam perfringendam educere opus eſt, & ad victoriam niſu omni contendere? Varii miſcendi affectus, ita tamen miſcendi, ut cum indignationem, iram, omneſque odii flammas in inimicum regeris, tibi interea in hoc cupiditatum æſtu non obſis: illic validiſſimis ſuffultæ momentis in aciem dirigendæ rationes, & juſto marte pugnandum, ſed ita ſolerter, ne cum docere, qui adſunt, paras, & in tuam ſententiam pertrahere, adverſario temere tradas arma, quibus te confodiat: hic quando vi aperta non expedit, tentandæ per cuniculos Audientium mentes, ac ſenſim occupandæ,

dæ, sed ita caute, ut se ab oratore circumveniri, & in fraudem tacite impelli non suspicentur. Quoties enim contingit, ut aliam ab ea, quam caussæ genus, personarum conditio, ac judicum gravitas exigebat, dicendi formam consectantes, neque Auditorum expectationi faciamus satis, neque illum, propter quem diu, noctuque desudavimus, victoriæ finem consequamur? Vera dico, & experientia comperta; plus damni aliquando suis clientibus patroni afferunt, quam inimici unquam concupiverint. Illæ ipsæ nobilissimæ eloquentiæ virtutes, quæ commendare mirifice oratorem solent, plaususque parere, si in judiciis, hoc est non idoneo tempore, & loco proferantur, non solum caussam, si qua labat, non fulciunt, sed miserrime secum pessum ferunt. Finge enim aliquem de fortunis, de liberis, de patria dimicantem, vitæque suæ impendens periculum conantem propellere.

Pro-

Prodeat ille in medium non tam advocatorum, quam figurarum agmine circumseptus: molli undique, & ad omnem festivitatem comto exordio in judicem sese insinuet, benevolentiam sibi conciliaturus; ac tanquam in scena aliam ex alia personam sumens, modo fusis, modo rotundis periodis subsiliat, modo acutis sententiolis, modo leporibus undecumque demum licet accersitis, animos pertentet, & lactet. Sed quid ego pluribus sapientissimum hunc Auditorum consessum, nugas, & ludicra in capitis judicio respuentium, moror? Jam tristis tabella exiit, nigrumque theta inustum est capiti tam male, & importune pro se peroranti. Quis enim ad ejus misericordiam moveatur, quem nullus imminentis sibi exitii sensus moveat, sed quasi voti compos, ac victor, orationis veneres in medio vitæ discrimine anxie aucupetur, ipsisque verendis subselliis per inanes figurarum flosculos insultet? Vidit

hæc

hæc incommoda, qua erat ſapientia, M. Tullius, cum ſibi lubrica, & anceps Milonis cauſſa delata eſt, eamque pro cliente rationem inivit, quam alii minus cauti, ac providi ſi tenuiſſent, reum ſuæ fidei commiſſum prodidiſſent. Quomodo enim Pompejum judicii quæſitorem, quomodo ceteros, qui conſederant judicaturi, orator fleCteret? Impavidus Milonis vultus magis exaſperat. Non ſordes in illo ullæ, non ſqualor, non capillus promiſſus: nulla timentis, aut pro ſe ſupplicantis ſpecies, non amicorum, non propinquorum, ut in capitali dimicatione fit, turba ulla: ipſe unus conſtans, & erectus ad omnem fortunæ eventum ſtat in foro, Clodiana manu obſtrepente, ſententiam expectaturus. Itaque preces pro illo non ſupplice, non ſordidato indecoræ, ad alia prudentem oratorem converterunt; eadem illa rei conſtantia, ac pene audacia, qui ſuo periculo nihil, periculo vero

patriæ maxime commovebatur, Tullium ad deprecandum pro Milone impulit, faceſque ad inflammanda contra Clodianos pectora ſubminiſtravit, cum talem civem patria eſſet amiſſura, qui, quam animi magnitudinem in Clodio, peſte teterrima, e Republica tollendo præſetulerat, eandem in obeunda pro republica morte præ ſe ferret, ſi patriæ ſalus depoſceret. Quod ſi funeſta omnia T. Annio nihilominus cecidere, conſtat tamen, cum ei a Cicerone ſcripta extra omnem metum oratio allata eſſet, & perlecta, ſincere illum faſſum, nunquam futurum fuiſſe, ut Maſſyliæ ipſe exularet, ſi tam vehementer Tullius peroraſſet. Sed hæc virtus, ut vere fateamur, paucorum eſt. Ipſa enim illa exquiſitæ eruditionis lumina, unde ſaluberrima ad eloquendum præcepta, & ad aliena vitia dignoſcenda exempla copioſiſſima ad nos pervenere, ipſa, inquam, lumina, ipſique doctiſſimi

præ-

Digitized by Google

præceptores, cum manum calamo admovere, a recta semita deflexerunt, sive quod nimio scribendi ardore ducti homines, non adverterent interea, quod argumentum tractandum susciperent, quas personas inducerent; sive quod facillimum sit extra omnem aleam aliorum lapsus cernere, & præcipere advenientibus, quæ fugienda sint, quæ amplectenda; ipsis autem monitoribus, in easdem angustias delapsis, statim evanescat ratio e periculo, quo premuntur, sese expediendi. Si enim Dionysium Halicarnasseum ad oratoriam artem contendentibus optima præcipientem audimus, nemo illo accuratior est, nemo ad docendum aptior. Si de oratoribus Lysia, Isocrate, Demosthene, Hyperide, si de poetis Stesichoro, Pindaro, Æschilo, Sophocle, Euripide judicium ferentem suum, nemo integrior censor, nemo honestior. [a] At hic tantus præceptor, & Cri-

(a) *Dionys. Antiquit. Rom. lib. 7.*

ticus, Romanorum res gestas narrare aggressus, non ita ingenio suo temperare potuit, quin, legatis ultro citroque a Romanis, ac Volscis mittendis, in sola Coriolani caussa alias super alias conciones saepe intempestivas, & historiae filum abrumpentes, glomeraret. Quid Augustinus Mascardus, superioris seculi in republica litteraria non ignotum nomen [a]? Quanta de historica arte documenta nobis reliquit, quantusque in eo est, ut moneat, judicium ubique adhibendum, ne a decoro usquam discedatur? At tu tuas leges, Mascarde, perrumpis, cum in conjuratione Fliscana [b], servum, non ultimae illum quidem conditionis, sed tamen servum, de rebus gravissimis ita disputantem facis, ut in reipublicae negotiis civis versatissimus melius eloqui minime possit. Adeo ne bonus ego, qui credam, Calcanium illum tuum,

(a) *Tract. V. de arte historic.*
(b) *De Conjurat. Ludovici Flisci.*

tuum, dum Ludovicum Fliscum a nefario prodendæ patriæ consilio dehortatur, tantum e nobilium familiari consuetudine, tantum e suæ mentis acumine prudentiæ, tantum e Rhetorico ludo facundiæ haurire potuisse, ut quid a patriciis, quid a popularibus, quid a vicinis regibus, quid a gentibus longe positis auxilii Ludovico sperandum esset, elegantissima oratione percurreret, nullumque oratorium colorem omitteret, quo præsentem rerum Genuensium statum, consecutura, si detegerentur insidiæ, mala ad vivum exprimeret? Tu ibi ingenium tuum, tu tuam eloquentiam ad res vel implicatissimas feliciter explicandas ostendere voluisti. Atqui ille idem, Auditores, Mascardus est, qui conjunctis cum eodem Dionysio viribus Thucydidem (a) graviter culpat, quod Periclem totius Græciæ eloquentissimum oratorem, inani quadam suæ

 in

(a) *Thucydid. lib. 2. Histor.*

in illo oſtentandæ facundiæ prurigine, ea dicentem introducat, quæ neque Periclis indolem exprimant, neque tempori ſint conſentanea, cum Athenienſis populus in illum ob acceptas a Lacedæmoniis clades concitatus, leniendus modeſta oratione eſſet, non vana eloquentiæ oſtentatione exulcerandus: ille idem Xenophonti dicam impingit, quod indocti, ac rudes homines apud eum nitide, ac polite inter ſe colloquantur; neque Curtio parcit, (a) quod Scythæ, gens barbara, & agreſtis, philoſophico pallio dignas ſententias crepent. Ita ſibi invicem vineta cædunt ſcriptorum plerique; ac ne aridas, & macras aliorum orationes, quo modo olim habitæ fortaſſe ſunt, ad poſteros tranſmittant, dum timent, non ornatu ejuſmodi veſtiunt, quem perſonæ pro ſua quæque fortuna ferant. Amandentur igitur, inquiet aliquis, quoniam hic ſco-

(a) *Q. Curt. lib. 7. cap. 11.*

ſcopulus, niſi a peritiſſimis ſuperari non poteſt, ab hiſtoria conciones omnes, & accepta ab oratoribus mutua ornamenta, ſuis dominis reſtituantur. Non hæc ego colligo, hiſtoricis parum fauſta: Tametſi non defuere, neque noſtra ætate deſunt viri litteratiſſimi, qui hæc ſcribentibus amæna diverticula penitus interdicunt, quod & cœptus narrationis curſus perperam interpelletur, & hominibus, qui nunquam fuerunt, aut non ita locuti ſunt, ſententiæ non probabiles, ſæpe non ſanæ, aliquando etiam impiæ tribuantur. Cæſar quidem certe, bellandi æque, & ſcribendi gloria celebratiſſimus, qui ſucciſivis horis res a ſe geſtas litteris conſignabat, non tantum nactus eſt temporis, quo per haſce hiſtoricorum delicias legentium oculos oblectaret; munditiem tamen, nitoremque ſcriptionis ita eſt perſecutus, ut illum legiones conſcribere, providere rem

frumentariam, transire flumina, munire castra, acie instructa ad prælium cohortari milites, quamquam ipse non concionetur, videre tute tibi videaris. Nam conciones, quæ a ducibus in castris habitæ referuntur, non intelligo, quomodo probari possint, & loco conveniant; neque quisquam tam facile sibi persuadeat apud Curtium,[a] aut Darium curru sublimi invectum, ad infinitam militum multitudinem, qui campos, collesque omnes non procul ab Arbelis obsederant, jam jam cum Macedone congressurum, ita vocalem concionatorem fuisse, ut commode ab iis exaudiretur; aut militibus tantum otii e præsenti trepidatione superfuisse, ut totam illam, quam ex eminenti loco Persarum Rex concinebat, auribus non iniquis cantilenam haurirent. Qui enim fieri potest, ut in ipso pugnæ articulo, cum undique micant gladii, classica canunt, cum instruuntur

(a) *Q. Curt. lib. 4. cap. 34.*

tur ordines, alius alium urget, exercitus spe, metu, undique fluctuat, perinde ac si omnia tuta sint, ac tranquilla, diu, multumque imperator vel in sua, suorumque virtute commemoranda, vel in hostium ignavia, ac timiditate deridenda, oratione immoretur? Sed scriptoribus parcamus, qui ab omni civium, ne dum militum frequentia semoti, cum aliorum facinora litterarum monumentis traderent, quæ forma castrorum esset, ignari, ad exornandas tantum mira varietate res gestas incubuerunt, ac sicubi historia refrixit, aut ad scribendum res amplæ defuerunt, materiæ jejunitatem per hasce evagationes compensare studuerunt. Quorum conatus si eo spectant, ut suum ingenium exerceant, atque ita ad legendum otiosos alliciant, non sunt omnino reprehendendi; at si per hæc fucum facere se posse putant, vereor, ne eorum importunæ digressio-

nes

nes risu excipiantur. Quod Henrico Stephano eruditissimo viro,(a) & de Græcis, latinisque litteris in typographica arte promovenda optime merito, contigisse accepimus, qui cum latinam J. Lipsii dictionem, multis eá tempestate ad imitandum propositam, notare decrevisset, librumque, quem adornabat, *de latinitate Lipsiana* inscripsisset, suscepti statim oblitus muneris, in Turcarum gentem per Europam tunc temporis grassantem, invehitur, eorumque feros mores, & instituta unice carpit. Tam supinam negligentiam, & monstruosam officii sui oblivionem satis facete sugillarunt, qui libelli tam inconcinne confecti titulo duo tantum vocabula addidere: *de Latinitate Lipsiana adversus Turcas*. Nimia hercle libertas, omnes præceptorum fines supergressa, ne ipsis quidem poetis concedenda, quibus tamen, ut pictoribus, *quidlibet audendi semper fuit*

æqua

(a) *Teisser. in Elog. Viror.*

æqua potestas. Immo vero, si qui sunt, qui caute, ac sapienter artem debeant tractare suam, & infinitos naturæ effectus, ritusque hominum sedulo animadvertere, profecto poetæ sunt. Cum enim hi ingeniosissimi rerum omnium imitatores, erudire homines per fabellas instituant, & per inaudita, quæ excogitarunt, figmenta in admirationem, qui spectant, erigere; periculum semper est, ne in absurda, absona, & fidem humanam superantia delabantur. Neque enim satis est provinciæ, & patriæ tenere mores, quæ adolescentum, quæ virorum, quæ senum indoles sit, quæ fortunatorum, quæ nobilium, quæ divitum studia, didicisse; quis enim hæc non optime novit, qui non graves præceptoribus aures præbuerit? Non satis ad res confingendas hæc de schola cognitio: quot, & quanta momenta supersunt ab experientia, a quotidianis exemplis desumenda? Non sibi constat, inquit

Ari-

Ariſtoteles, [a] apud Euripidem Iphigenia, quæ nuper Dianæ immolanda, patris genubus advoluta rogans, illacrymanſque ſupplicabat, ut ab horribili morte eximeretur; mox vides illam alacrem, audentemque ad aras mactandam, quaſi ad triumphum convolare. Unde hæc tam repentina in puella mutatio? Unde tantus vitæ contemptus? Si quis muliebrem ſexum novit, cujus velle, renuere, poſcere, odiſſe idem fere eſt, non admodum ejus inconſtantiam miretur: Illam autem alacritatem, & fiduciam, quæ vel ab audaciſſimis diſcedit omnis, quoties horrenda lethi facies oculis obverſatur, in muliere nullo modo probet. Jam illas calamitates, & infortunia, quæ in ſuaviſſimo felicitatis ſinu quieſcentibus contingunt, quam difficile eſt cum decoro in Scenam producere? Videas ſæpe reges ex altiſſimo illius majeſtatis faſtigio, unde jura dabant

(a) *Lib. 1. de Poetic. particul. 78.*

bant populis, ad ima dejectos: da illis mala tantæ fortunæ paria: proditiones domesticorum, truculentas filiorum interneciones; bella intestina in regem exorta, miseras urbium direptiones; omnia prostrata cæde, ac profligata. At centunculum, & peram calamitosis principibus Euripides alligat, instrumenta regiæ dignitati non satis congrua, ut non immerito eum Æschilus in Aristophane (a) claudorum, mendicorum, pannosorum poetam lepidissime appellet. Quid cum infelices homines nobis poetæ exhibent, solantes sortem suam, & acutas, artificiosasque sententias, cum malis mederi volunt, veluti ex tripode proferentes? Hoccine boni miseriæ afferunt, ut homines arguti sint, & melius, quam Plato, & Anaxagoras, philosophentur? Quid modi illi, quibus tota fabulæ moles connectitur, quam a paucis, nisi sapientissimi sint, apte solvuntur?

(a) *Aristoph. in Ranis Act. 4. Scen. 2.*

tur ? Nihil dico de iis, qui argumenti exitum minime inveniunt, nisi aliquod Numen e cœlo deferant, neque patri ad incitas redacto suppetias ferre possunt, nisi filius, qui in ultimis terrarum degebat oris, repente adsit, illo puncto temporis parenti suo salutem allaturus. Hæc sunt illa portenta, quæ multitudinis feriunt oculos, quæ plausus in theatris excitant, quæ palmam poetæ apud vulgus pariunt; sed ad artem exacta, & ad ejus librata regulas, turpissima vere monstra deprehenduntur. Sed ego longius fortasse, quam par fuerat, & imbecillum adolescentum ingenium patiebatur, progressus fuero, ac nonnullis rei difficultate deterritis animos demsero, cum videant, nullo se pacto posse ea brevia superare, in quæ artis peritissimi sæpe navim impegerint. Difficile est, non inficior, neque cujusvis hominis, orationem suam in oratoria, & poetica ita conformare, ut non res ingenio,

sed

ſed ingenium rebus accommodetur. Sed illud tamen fidenter pronuntio, neminem, qui ad omnia judicium adhibuerit, tam tenuis litteraturæ fuiſſe, qui non aliqua nominis fama floruerit; pluris enim apud cordatos homines modica eloquentia cum judicio conjuncta ſit, quam immenſa facundia prudentia carens. Hanc in conſilium vocent velim juvenes, ſive ſummum, ſive medium, ſive infimum dicendi genus delegerint, curentque in primis, ut quoniam Auditores modo docendi ſunt, modo oblectandi, modo flectendi, ſuam cuique parti formam, & quaſi colorem apponant, neque ſemper in ſublimi ſublimia, in mediocri temperata, in humili ſubtilia ſequantur: uno verbo, ut optimis latinitatis Auctoribus adhærentes, hinc nitidam, decentem, caſtam dictionem, quam maxime fieri poteſt, ſcribendo exprimant. Quamquam quid ego aliunde incitamenta quæro, cum hæc e-


rudi-

ruditionis, & ſapientiæ decora intueor, Oratores, Theologos, Juriſperitos, Philoſophos, viros in ſua quemque facultate doctiſſimos, a quibus nihil niſi concinne, nihil niſi perfecte, nihil niſi cum ſumma venuſtate fieri quotidie cernimus? Hos ut ſequamini, horum veſtigiis inſiſtatis, horum imaginem ut dicendo referatis, vehementer hortor, Adoleſcentes, magnum induſtriæ, ac diligentiæ laturi pretium, ſi nunquam ab iis diſcedatis, qui ut in civili vita, ſic in litteris ſuam ubique retinent dignitatem.



AR-

ARGUMENTUM
QUINTÆ ORATIONIS.



Ruditio, quam ab erudiendis ingeniis majores ita nostri appellare voluerunt, non unam, aut alteram litteraturæ partem, sed eas omnes complectitur, quæ ad animos excolendos, eosque ingenuis artibus ad humanitatem informandos esse præsidio possunt. Quocirca non doctrina tantum hoc nomine continetur, quæ scientiam plurimarum rerum comprehendit, neque prompta, & expedita minime hebetis indolis ratio, quæ liberos, & honestos decet; sed quidquid ab historicis, a poetis, a philosophis, ab omni scripto-

 rum

rum genere sapienter erutum, potest ad Auditorem docendum, ornandamque eloquentiam, ad orationem traduci. Atque optimarum artium cognitionem, minimeque rudem antiquitatis notitiam, unde præclara ad dicendum plurima desumuntur, nemo est, qui non oratori, cujus est de re omni suo loco, ac tempore disputare, necessariam esse fateatur: cumque bibliothecæ ad hoc potissimum comparatæ sint, & omnigena librorum instructæ copia, ut ex eorum lectione docti, & eruditi discedamus, multum ad oratoriæ facultatis propagationem proderit, in iis evolvendis, quantum oratoris munus, & domestica patiuntur negotia, immorari. Quod vero ad illud eruditionis studium spectat, quod ad omnem antiquitatem excutiendam, censoriaque notione quælibet Auctorum Chirographa examinanda præcipue insumitur, tam latum illud, vastumque est, ut vix tota hominis vita sufficere videatur. Quocumque enim convertas oculos,

innu-

innumeri sese tibi scriptores offerunt, qui hanc sibi curam susceperunt, ut quæ in tenebris delituere, aut ab aliis non recte explicata esse putaverunt, commentariis explanarent, nihilque intentatum relinquerent, quod obscurum, & impervium, volenti secretiora eruditionis adire arcana, videretur. Itaque de funeribus alii, alii de gentium oraculis, de toga, de pallio alii, multi de typographiæ ortu, ac progressu, ceterisque, quæ populo plausibilia sunt, neque mediocrem de his omnibus luculenter, pulcreque disserenti existimationem pariunt, neque paucos, neque exiguæ molis libros conscripserunt. Hæc tamen omnia non ita necessaria esse facundo viro judicamus, ut sine ejusmodi adjumento manca, ac debilis sit eloquentia. Sunt enim hæc, & his similia adventitia dicenti bona, & quæcumque demum hominum opinio sit, non tam severa libranda lance, ut pluris bibliopola propterea, qui librorum, typorumque scientiam profitetur, quam

 cra-

orator, qui multo majora ſpectat animo, æſtimetur. Sed de his copioſius in ipſa oratione, neque fortaſſe injucundum conſideranti, quantum emolumenti in hominem diſertiſſimum e ſolida, minimeque fucata eruditione proficiſcatur.



ORA-

Digitized by Google

ORATIO QUINTA.

Quæ, & quanta oratori necessaria eruditio.



Um sæpenumero versarem animo, quo potissimum argumento, elocutionis partibus jam expositis, Te primum, Princeps Eminentissime, ornatissimam deinde sapientum Auditorum coronam hodierna die detinerem; nullum, quod ad hujusce seculi ingenium aptius incidere, & superioris anni orationi propius succedere videretur, mihi occurrebat, quam si de eruditione inter cetera verba facerem. Si qua enim ætas unquam fuit, quæ majorum

virtutem æmulata, eo hominum industria, ac nisu creverit, ut præcipuam illorum laudem vel proxime attingeret, vel etiam æquaret; nostra profecto ætas est, qua non excultæ modo, sed barbaræ quoque gentes adeo in hoc opus consentiunt, ut in gravissimis Rerumpub. negotiis nihil magis, quam litterarum gloria, videatur cordi esse. Tantam erga optimas disciplinas omnium voluntatem, & curam aperte testantur quotidianæ ab alienigenis litteræ, quæ de importandis, exportandisque libris ad nostros homines perferuntur; creberrimæ eruditorum Ephemerides, quæ recondita semper volumina qua animadversionibus, qua figuris, qua characteribus spectanda evulgari accuratissime nuntiant; magnificæ constructæ passim bibliothecæ, & a studiosis cœtibus frequentatæ; assiduæ typorum officinæ, quæ in prelis exercendis operas occupant innumerabiles, aperte testantur.

Quis

Quis interim e tanto rerum apparatu in eloquentiam, pro qua præſertim magno opere laboratur, redundat fructus? Putamus ne, litterariis opibus in immenſum creſcentibus, ejus quoque nativum decus augeri, an, quod fieri ferme ſolet in rebus ceteris, nimia copia decreſcere? Si verum enim fateri non piget, multi ex oratoribus multa peccant, non quod eruditi ſint, quod honeſtum per ſe eſt, & viro diſerto penitus neceſſarium, ſed quod præter modum omnem ſint eruditi; ut ſatius nonnullis ſit, eorum pleraque, quæ quondam perceperunt, dediſcere, quam nova ſubinde nihil, aut parum ad facundiam locupletandam profutura, in memoriæ theſaurum comportare. Quamobrem ne illa ipſa, quæ ad oratoriæ facultatis ornatum incredibili ſedulitate inſtructa eſt, & quotidie inſtruitur, eruditio noceat, decorum tibi diligentiſſime ſervandum eſſe, iterum, iterumque edicimus;

& quemadmodum Neoptolemo apud Ennium, in militia philoſophari placet, ſed paucis; ita in oratorio pulvere tantum e ſcriptoribus doctrinæ delibandum, ut hoc ſapido veluti ferculo condiatur oratio, non coacervatis dapibus corrumpatur. Quàm enim aliam cauſſam eſſe arbitramur, cur ingenioſiſſimi alioquin viri, bene dicendi laudem non conſequantur, niſi quod intentius, quam par fuerat, huic ſeſe ſtudio dedidere? Ex quo uſu venit, ut cum ad ſcribendum accedunt, immenſa occurrentium ſibi rerum obruti mole, & quid in primis dicant, quid prætereant, quid paucis complectantur, dubii, & incerti, cruda ad extremum, horrida, incondita perſtrepant, ambageſque ſempiternas ne Pythiæ quidem vati extricandas innectant. Date igitur hanc mihi veniam, Auditores, ut duo gravia pariter, & utilia in præſens exequar; unum quod ad oratores, alterum quod ad eruditos

re-

refertur: primo loco, quæ, & quanta oratori necessaria eruditio sit, ostendam; tum per propriam eruditorum provinciam digrediar, & quid in his laudetur, castigeturve a Criticis, significabo. Id autem parcissime faciam, & ea tantum persequar, quæ ad humanitatis studia pertinere videntur.

Atque ut ab ipso statim nomine rem exordiamur; ille habetur vulgo eruditus, qui in plurimis, variisque scriptoribus diu, ac multum versatus, eam sibi demum pulcherrimarum rerum, verborumque supellectilem adornavit, ut docte deinde, & copiose, si ad disputandum vocetur, omnia explicare possit. Itaque quæ ex assidua Auctorum tractatione suboritur, vehementique diligentia feliciter propagatur, reconditæ antiquitatis cognitio multiplicem eruditionem gignit, quæ opportuno loco, & tempore adhibita, mirum in modum sermones co-

mit, & Audientium animos peculiari ſuavitate perfundit. Si enim lauta litteraturæ ornamenta ſplendidum quoddam iis lumen impertiunt, qui in civili convictu dulciſſimos muſarum congreſſus affectantur, neque ab earum complexu poſſunt tantiſper avelli; quantam oratori doctrinæ celebritatem adjicient, qui in magnam civitatis lucem eloquentiam ſuam efferre debet, totamque concionem dicendi varietate ſuſtinere? Cum enim duo ad oratoriam laudem cumulandam conſpirent, mutuaſque alterum alteri ſuppetias ferant, politiorum litterarum cultus, & ſeveriorum diſciplinarum perceptio; ex hac utriuſque rei ſocietate illud plenum, & excelſum exiſtit, ut facundi, ut varii, ut ornati ſimus, neque inanes videamur uſquam, ac rudes. Porro qui opulentiſſimum ſapientiæ ſuæ quaſi patrimonium nobis reliquere, id ſpectaſſe maxime putandi ſunt, ut, quoniam quæ excogitaſ-

ſent

ſent ipſi, aut ab aliis excogitata, meliora meditando, ſcribendoque feciſſent, viva nos docere voce, alteque menti imprimere non poſſent, per mutos ſaltem Magiſtros, hoc eſt per libros ad nos tranſmitterent, atque ita bene de omnibus mererentur. Unde vero magis, quam e Græcia, beatiſſima illa Apollinis, Gratiarumque patria, illa præſtantium ingeniorum regione feraciſſima, certa ad eloquendum præſidia petenda ſunt, ex qua artes omnes, ac diſciplinæ, omnis eloquentia, & humanitas ad nos dimanarunt? Quæ quidem cum dico, non Romanos, ſolertiſſimam gentem, & ad præclara quæque tentanda apprime a natura factam excludo; ſed hi per ſeptingentos, & amplius annos perpetua bellorum ſibi invicem ſuccedentium ſerie prohibiti ſunt, quominus Græcorum chartis oculos admoverent: qui poſitis tandem armis, & ubique terrarum parta pace, conſopitam in-

do-

dolem tam acriter suscitarunt, ut non modo præteritum tempus abunde compensarent, sed ipsos prope bonarum artium Auctores anteirent. Quanta enim, ubi litteræ mare pervectæ, latino in solo sedem figere, cælumque Italiæ haurire cœperunt, quanta historicorum, poetarum, philosophorum quanta extemplo veluti soboles coorta est? Vix earum dulcedine prægustata, huc privatorum cogitationes, conatusque collecti, talem illico fortunam sortiti sunt, ut in rostris nobilissimi oratores de principatu contenderent, cætusque philosophantium in urbe celebrati, insignes Scholas, quas *ἀκαδημίαν, στοὰν, περιπατὸν speciosis nominibus Græci appellant, minime his inviderent. Atque hæc, opinor, caussa fuit, cur duo illa Romanæ curiæ, forique lumina, Crassus, & Antonius, corroborata jam eloquentia, & ad summum fastigium evecta, alter ne-

* *Academiam, Stoam, Peripatum.*

negligere, alter ne nosse quidem Græcos videri vellet.[a] Verum utrumque omni facultatum genere ab hisce præceptoribus fuisse institutum, eorumque litteras avide combibisse, satis superque in judiciis certamina loquebantur, quæ sine hujusmodi adminiculo levia censebantur, & ludicra. Antonium autem optime scivisse græce, Herodotus, Thucydides, Theopompus, Timæus, licet verbo negaret, re scriptores ipsa perspicue convincebant, quorum libros pervolutando, id obtinuerat, ut dictionem suam eorum pene dixerim cantu coloraret, ac de uniuscujusque virtute eruditissime disceptaret. Quinimo Tullius, qui suorum hominum prudentiam, ubicumque potuit, & quocumque demum modo potuit, Græcis semper antetulit, non prima tantum doctrinæ rudimenta, sed facundiæ etiam vim ex hoc uberrimo fonte haustam, adeo felici exitu pro-

pa-

(a) *Cic. de Orat. lib. 2.*

pagavit, ut cum apud [a] Rhodios rhetoras declamaret, tanti oratoris admiratione Apollonius philosophus excitatus, non sine gentis suæ verecundia fateretur, Græcorum eruditionem, & eloquentiam una cum M. Tullio in Latium commigrasse. Quæcumque enim ad oratorem efficiendum requiruntur, usus, auditio, lectio, litteræ, summa in illo fuere omnia; cumque sibi perfectam eloquentiæ imaginem animo proposuisset, mature ante omne scientiæ genus complexus, multa insuper tum ab extrema, tum a proxima antiquitate selegerat, quæ dicenti fidem facerent, & rebus auctoritatem conciliarent. [b] Quo enim spectant ab eo non semel, & iterum inculcata præcepta, ut optimarum artium scriptores legat orator, neque solum evolvat, quod cuilibet e populo, modo litteras noverit, facillimum est;

sed

(a) *Plutarch. in Vita Ciceron.*

(b) *Cicer. de Orator. lib. 1. cap. 34.*

ſed attentius inſpiciat; laudet, ubi oportet; vituperet etiam animoſe, ſi res ita ferat, corrigat, refellat; ut ſenatoriam conſuetudinem, reipublicæ diſciplinam, jura ſociorum, cauſſam imperii percipiat: quo inquam, hæc ſpectant, niſi ut præſtantiſſimarum rerum cognitione imbutus, de his, quæ in quæſtionem veniunt, promte, ac ſcite diſſerere, ſuamque orationem hiſtoriæ ſubſidio munire poſſit? Neque enim ei magis aſſentimur, qui acute ad dicendum plurima excogitaverit, quam qui ſapientum virorum dictis, quæ in medium profert, confirmat; neque ei libentius præbemus aures, qui nitida latinitate, & rotunda verborum comprehenſione præcellit, quam qui veterum teſtimoniis, quæ hæret in ancipiti, cauſſam illuſtrat. Sunt in philoſophis, ſunt in poetis, in hiſtoricis valida rationum momenta ſunt, quæ ſi in rem tuam callide transferas, pronos audientium animos impellas,

& quo perorando tendis, adducas. Hinc a Platone, a Xenophonte, a Seneca desumtæ sententiæ, hinc ab Epicis, a Comicis commode decerpti versiculi, apologi ipsi cum venustate aliquando explicati, ad persuadendum plurimum valent, & irrepentem satietatem avertunt. Ut enim latine dicas, & subtiliter, ut grandia tones, & capaces exoptantium fusas periodos aures impleas, nuda cetera putatur oratio, ac jejuna, si suis blandimentis, ac lenociniis destituatur. Quamquam ego perinde disputo, ac si negligentibus, & cunctantibus acutissimos stimulos subdere necesse sit, propositisque ante oculos oratorum exemplis, ad eruditionem naviter conquirendam torpentes, tardioresque accendere. Illud mihi potius enitendum est, ut cum a plerisque immensa historiarum, fabellarum, doctrinarum congeries in orationem convehatur; amice moneam, non ea, qua solent, prodigentia, alio-

aliorum opes profundendas esse, sed ita sobrie, ac prudenter dispertiendas, ut de suo etiam, non de alieno unice vivere videantur. Nam qui existimant Græcæ linguæ studium, in tanta interpretum turba, ad hæc supervacuum prorsus esse, neque nisi bonos homines, aut tetricos ad hanc addiscendam compelli, non est, cur pluribus redarguamus; sed illos tamen doceri volumus, neminem fere unum neque aureo latinitatis seculo, neque post receptas a barbarie in tutum litteras disertum extitisse, qui non hoc sibi adjumentum, ac decus ad solidam laudis consecutionem asciverit. In quo tamen non dissimulo alterum huic contrarium, quod in quorundam mentes invasit, vexatque non parum, eorum vitium dico, qui credunt, insolitam se in hominibus expectationem excitare, si altero quoque verbo græca commisceant nomina, cumque debeant latine latinos

alloqui, malunt Homerum, Hesiodum, Euripidem toti redolere. Quid enim hoc est aliud, quam patriam linguam, dum externam plus æquo affectas, violare, & latinarum vocum positionem, atque adeo eloquentiam pervertere? At nullus es, nisi Isocratis, Demosthenis, Aristotelis longos textus recitare didiceris; ac si culpæ quondam tribuebatur, si quis vocabula græca, in quæ forte incurreret, quod non intelligeret, vafre præteriret; pari tibi crimini vertitur, si quidquid græci calles, non sæpe, & sæpius effundas. Testis mihi inter reliquos orator sit, qui cum in prætorio tribunali consisteret, ageretque acerrime caussam suam, in medio repente cursu, judicibus græci sermonis ignaris, maximam Iliadis partem belle concinere, eosque ad juris custodiam, Homeri; & ejus interpretis Eustathii verbis cohortari non dubitavit. [a] Quid

si

(a) *Balzacius in Epistol. Select.*

si quis exoticis linguis, si hebraica, syriaca, chaldaica tinctus, in forum prodeat, & patroni partes suscipiat? Ne vivam, si non de usucapionibus, de mancipiis, de stillicidiis verba facturus, quod olim contigit,

(a) *Doctor ab Auroræ populis, & littore rubro*
Ægyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehat;

Si pro Prudentum responsis, pro Labeonibus, pro Paulis, pro Scævolis, non tibi *Rabbi Maimonidem*, *Rabbi Abrahamum*, *Rabbi Zachut*, & *Talmud* ad ravim usque cantitet. Neque vero aliud ab hominibus expectes, nisi ut ab argumento penitus, a loco, a tempore aliena effutiant, qui in eo præsertim laborant, ut omnia, quæ didicere, conglomerent; ut nova, non vera, aut vero similia afferant, neque vident, se, cum eruditissimi ab om-

(a) *Idem Balzac. Virg. Æneid. lib.*VIII. *v.* 686.

nibus haberi volunt, ut nugacissimos blaterones irrideri. Deligenda enim sunt e locupletissimo penu, qui omnigena scatet eruditione, quæ ad dicendum paraveris; alia, etsi bona sint, ne reliqua confundant, seponenda, & ad meliora tempora reservanda; suas in partes digeras oportet, quæ ad Auditorum demerendam benevolentiam, quæ ad eorum animos commovendos, quæ ad erudiendos pertinent; omnia autem ita in orationem inducas, ut nusquam perturbent incœptum cursum, nusquam hæreant, nusquam tumultuentur. Hæc qui faciat, oratorem, & eruditum appellabo. Verumtamen quis ordo, quæ elegantia, quis ornatus in eo esse potest, cujus præcipua cura fuit, ut hinc, & illinc sine discrimine carperet omnia, plurima a Græcis, ac Latinis, non pauca ab Interpretibus mutuaretur, non sibi, non somno parcens, ut innumera volumina, neque cuivis pervia evolvis-

se, atque adeo exorbuisse credatur? Quocirca minime mirandum est, si quæ solet litteratis ad portentum usque prodesse, hos memoria misere prodat, si ex immodica ingerendæ eruditionis cupiditate lucubrationes in lucem exeant delumbes, hirtæ, confragosæ; ubi si quid pulcri intermicat, vel alium jactat dominum, vel impolita rerum strue labefactatur. Ac mihi sedulo cogitanti, unde nihilominus tanta semper extiterit, hodieque existat e Transalpinis, e nostris etiam hominibus eruditorum multitudo, qui ceteris disciplinis aut paululum degustatis, aut etiam omissis, huic sese studio totos addicant, florentesque ætatis annos ibi conterant, duæ inter reliquas caussæ, quare id faciant, obversabantur, rei de qua agitur, facilitas, & multijugis doctrinæ complexio, unde singularis nascitur oblectatio. Atque universim de Artibus si judicare velim; a recta plane decedam

via ; si sine ullo incommodo parabiles esse dicam. Est in singulis labor suus, sua est in singulis difficultas, quæ accedente tamen industria, ac diligentia paulatim superatur. Hæc tamen omnia, si cum oratoria arte comparentur, ita sunt exigua, ut nullam secum ferre molestiam existimes. Norunt id apertissime qui perpetuo in hoc versati curriculo, e vadis jam emersisse censentur, ac portum aspicere; quam novi semper, quam trepidi, quam de exitu dubii ad scribendum aggrediuntur? quam gravis, cum prehenditur, his stilus est, quam asper pluteus, quam ipsa aliquid exarandi molesta cogitatio? Neque injuria; cudere enim opus, quod neque sollicita festinatione præcox crudescat, neque intentiore cura victum elangueat; ita sensim ad culmen educere, ut neque in inutiles abeat frondes, neque densis luxuriet floribus; ita postremo ornare, ut homines fastidii ad ineptias

ptias delicatissimi vi quadam pelliciat, & cum voluptate detineat, totum hoc non subacti tantum, non experrecti, sed divini ingenii omnino munus est. Quotus autem quisque adeo excelluit, ut omnium ore probaretur, locumque semel occupatum, tuto deinceps, & cum dignitate retineret? E contrario nemo tam modicæ indolis est, dummodo aliquo judicio, & memoria valeat, qui non possit sibi e tam amplo, uberique campo aliquid laudis decerpere. Si librorum, unde eruditionis seges efflorescit, opportuna tibi copia sit, si temporis, & otii tantum suppetat, quantum hæc studia deposcunt, litteraturæ statim gloria clares, & eruditus ab omnibus consalutaris. Jam illa rerum, quæ legentium oculis occurrunt, varietas quantam jucunditatem parit? Placet ne illos inspicere, qui populorum mores, instituta, præclara facinora sibi describenda susceperunt? Habes qui tibi a Per-

ſis, a Græcis, a Romanis bello, & pace geſta referant, & ſubtiliſſimas identidem diſceptationes interſerant. Juvat ad eos potius divertere, qui ſacrificia, magiſtratus, judicia, auguria, numiſmata explicarunt? Innumerabiles ſtatim ſeſe offerunt, qui multiplici tanquam pabulo eſurientem animum expleant. Quid illos commemorem, qui ſcriptores partim obſcuros clariſſimis animadverſionibus illuſtrarunt; partim vetuſtate exeſos, ac prope dimidios, addendo, ſupplendo, antiqua, noviſſima chirographa inter ſe conferendo, refecerunt; partim gravia paſſis vulnera, præſtantiſſimam medicinam adhibuerunt? Quid illos, qui improbo, ac pertinaci labore deliteſcentia Auctorum ſcripta e tenebris extraxerunt? qui hoc ſaxum quotidie volvunt, qui codices hiſtoricorum jam ſqualidos, excuſſo pulvere, ac ſitu, optata luce, & cedro donant? Pergant de litteris, quod bene vertat, navi ho-

Digitized by Google

homines optime mereri; & (a) *quidquid sub terra est, in apricum proferat aetas*; aeterna inter ceteros ei habenda gratia*, qui Italorum gloriae amplificandae amore succensus, rerum Italicarum scriptores variis lectionibus ad unguem castigatos, abditos alios, alios dispersos in unum cogit, ac publici juris cum *sociis Palatinis* facit, vir sapientia, doctrina, editorum voluminum nobilitate immortalis. Atque ut ingentia in nos contulisse beneficia critici videntur, qui modum ubique servantes, communem utilitatem scribendo spectarunt: ita suo nomini non mediocriter offecerunt, qui intemperanter, perque aliorum criminationes sibi ad immortalitatem iter munire annisi sunt. Quot enim, quam acerba, quam diuturna Sigonio cum Grucchio, cum Robortellio intercesſ-

fere

(a) *Horat. epist. lib. 3. epist. 6. v. 24.*
* *Lud. Antonius Muratorius, eximium aetatis nostrae decus, & ornamentum.*

fere certamina, quod ab his in Antiquitate Romana tradenda dissentiret? ut pene legitimo judicio constituto, ac reo comperendinato, totam caussam perorare Sigonius coactus sit, eorumque argumentis, putidisque maledictis non una actione respondere. Sed Robortellius præfervido ingenio, & inexplebili siti laudis abreptus, iis accensebatur, qui latinitatis, & eruditionis Antistites videri volunt, omnemque rem litterariam humeris fulcire suis, tandiu tibi aliquid tribuentes, quandiu te suum clientem putant, aut [a] *tanquam in scena partes tractare secundas*; at si ab eorum latere parumper abscedas, & quippiam emittas, quod iis non arrideat, te, tuaque statim corripiunt, traducunt, deruncinant; ut minime iccirco mirer, si livida ille labe contactus, doctissimos viros, quos sapientes fecere plurimi, inclementer acceperit; & Andream

Al-

(a) *Horat. epist. lib. 3. epist. 18. v. 14.*

Alciatum, suorum scriptorum furem, Vincentium Madium, mendaciloquum hominem, Marcum Antonium Muretum, proletarium ludi magistrum, Paulum Manutium, purum putum bibliopolam vocitarit. Nescio enim quo pacto fit, ut qui ad eruenda veterum monumenta icto ante fœdere consenserunt, & ad difficillimos scriptorum locos explanandos, symbola quisque sua, convenere, mox corrogatam opem dedignati, alter in alterum convertant arma, quæstionesque gravissimas sæpius, quam rationibus afferendis, conviciis in se invicem jaciendis, definiant. Lambinus [a] repetundarum Giphanium postulat, quod in Tito Lucretio a se mendis purgato, quæ bona ibi sunt, e commentariis suis omnia surripuerit; quæ tamen ille aut dissimulat, aut maligne laudat, aut sibi impudenter arrogat. [b] Giphanius ra-

(a) *Lambin. in Præfat. ad Lucret.*
(b) *Giphan. in Epistol. ad Muret. 78.*

raptus in jus, objectum crimen crimine diluit, plagii Lambinum incusans, qui in Cornel. Nepotem emendationes quondam a se exaratas, in rem suam versipellis homo corraserit. Quid Janus Douza [a] medius inter litigantes? Non invidiæ flammas extinguit, sed magis excitat, bustuarium Verrem Giphanium appellans, qui Fruterii extremo fato defuncti scripta, varia caussatus, non edat; at furtivis tandem nudata coloribus; universo doctorum gregi moveat cornicula risum. Hinc, & illinc multatus Giphanius, in Scioppium invehitur, quod in ipsius bibliothecam obrepens, rarissimum Symmachi codicem subduxerit, & latinæ linguæ observationes sibi suppilarit. Patientia abutar vestra, si recensere singula hoc in genere velim, si ab eodem Scioppio [b] Lipsii Saturnalia Petro Fabro tribui; Ful-

vii

(a) *Douza ode in felles litterar.*
(b) *In Not. ad Priap. p. 14.*

vii Ursini in latinos historicos commentariorum plerosque, [a] Petro Ciacconio, Mureti variantes lectiones, annotationesque in Senecam, Ferdinando Pinciano ascribi dicam [b]. Vetus enim eorum querela est, qui postquam in Auctoribus interpretandis, dissertationibus, lexicisque concinnandis evigilarunt, paulo post vident, alios in laudis sibi debitæ possessionem irrumpere, & pauculis immutatis, suo audacter operi inscripto nomine, alienis ita laboribus inclarescere. Qua in re non vacat quærere, jure ne, an injuria eruditissimi viri sibi ultro citroque obtrectarint; siquidem in litterarum regno vix unus, & alter tam veritatis tenax est, qui cum pungi aliqua ratione se sentiat, ferat modeste, & inimicum inultum abire sinat. Sed illud accidit perincommode, ut non vulgari doctrina homines, ne ad rixandum adi-

(a) *Thomas de Plag. sect. 58.*
(b) *Theodor. Janson. Nov. Antiq. p. 27.*

adigantur, a scribendo interea abstineant, lucemque publicam omnino fugiant. Bene tamen habet, quod unde minime expectatur, non exigua in alios emanat utilitas. Sive enim a concertationibus revera nonnulli abhorreant, sive labori addere laborem nolint, sive se melius dicere, quam scribere posse existiment; præclare cum litteris agitur, quod in amicorum consuetudinibus, in myropoliis, in conviviis, qua pollent, eruditionem facile expromunt, ejusque salubria pocula siccæ coronæ propinant. Nulla enim ingenuis artibus optari faustior fortuna potest, quam ut earum amor in illos conventus immittatur, ubi honesti quidem, sed nimio otio circumfluentes homines, integros sæpe dies sine ullo lucro consumunt. Quod si Timotheus Atheniensium imperator Platonis cænas frequentabat, quod multimoda scientia conspersæ, postridie etiam convivam oble-

cta-

ctarent; non immerito litterariæ inter domesticos controversiæ feruntur, unde rudes antea, & indocti abditarum rerum notitiam consequuntur; discendi plura succrescit cupiditas, coemuntur paulatim libri, leguntur, non raro censorio etiam oculo excutiuntur. Ergo totam hanc, quæ longe lateque patet, disserendi provinciam istiusmodi eruditis concedet orator, sinetque eos per omnia facultatum genera libere excurrere, neque subirascetur, si ad oratoriæ artis dignitatem commendandam disputationis æstu delati, infinitum eorum, qui græce, & latine scripsere, numerum referant; si ad elegantiam Ciceronis arripiendam venustos librorum titulos suggerant; *Gemmulas*, *Corollas*, *Scintillas Tullianas*, *Prætextatas latine loquendi formas*; si *Ramum aureum*, *Hymettum*, *Armamentarium phrasium* pleno ore prædicent; si libellorum Auctores, Mejneros, Haganæos, Duncanos,

Craut-

Crautferos, Barios, Carpentarios, inaudita nomina recitent; immo collaudabit, quod qui audiunt, intelligant, præter Pontanos, Doletos, Pafferatios, Nizolios, alios ftrenuos *Lexicographos* in commune ftudioforum bonum lucubratiunculas fuas contuliffe. Quod ad oratorem ipfum attinet, neque omnes libros legere poteft, neque debet; libros dico? vix fcriptorum indices, quos in multa, eaque ingentia volumina Lambecii, Lipenii, aliique laboris patientiffimi, ac vere *χαλκέντεροι redigere conati funt, vix tanti pendat, ut quamvis fit otiofiffimus, oculis univerfos percurrat, nedum fingulos memoria comprehendat. Paucos igitur evolvet, & optimos, ac tantum indidem fumet, quantum ad ornandam orationem conducit: (a) quo vero nomine primus Grammaticus appellaretur, quot Pytha-

* *Æneis visceribus.*

(a) *Agellius Noct. Att. l. 14. cap. 6.*


thagoræ nobiles fuerint, qui ſint verſus apud Homerum *Ἰσόψηφοι*, & ſexcenta ſimilia miracula, ac vaticinia, hujuſcemodi artem profitentibus; perlubenter diſcutienda permittet. Satis eſt oratori, nobiſque, qui pro virili huic inſiſtimus viæ, ſatis eſt ad omnes opportunitates parata habere ſcrinia, ubi probatiſſimi ſcriptores aſſervantur, neque ignorare, qui ſublimia, & pulcra contineant; qui cum judicio, ac metu evolvendi ſint, & a quibus manus pariter, & oculi abſtinendi. Hæc ſi conabimur, ut conari certe oportet in tanta hujuſce ſeculi erga humanitatis ſtudia propenſione, tanta litteratiſſimorum hominum nova quotidie in lucem producentium induſtria, tanta Principis Eminentiſſimi in litterarum felicitate amplificanda cura, qui par ubique ſibi, par magnificentiæ, quæ præſtantium virorum propria virtus eſt, ſplendidam perutilium librorum editionem nobis

inculcat, ſuoque exemplo promovet, non erit, cur pulcherrimam eruditionis ad eloquentiam ſupellectilem admodum aliis invideamus.



AR-

ARGUMENTUM
SEXTÆ ORATIONIS.



Ideor mihi, Lector bene-vole, susceptum jamdiu in oratoria palæstra cursum constanter tenere, qui habitæ superiore anno de eruditione orationi eam nunc, quæ ad Criticum studium pertinet, subjicio. Est istuc quidem, non diffiteor, latissime fusum, nullisque certis finibus circumscriptum; quippe quod per omnes disciplinas, ac scientias excurrit, nullamque penitus prætermittit, in quam non se inferat, suumque jus non liberrime exerceat. Sed Criticæ artis indolem attentius perspicienti, compertum illico fit, hocce munus om-

omne, quod ad aliena scripta expendenda spectat; eruditi praesertim hominis sedulitatem efflagitare. Quare in libris de Oratore Tullius mature monet adolescentes, omnium bonarum artium scriptores, doctoresque non legendos modo, sed interpretandos etiam, qua parte ardui sint, & obscuri, corrigendos, refellendos, vituperandosque, ubi credant aut falsa, aut ambigua, aut non vero similia litteris eos tradidisse. Id autem non in fictis modo certaminibus, quorum finis est ingenii, & memoriae exercitatio, sed multo magis in acie forensi praestare debet orator, ubi, quid cubiculo inclusus commentatus fuerit, quae rationum momenta ad firmandam caussam in medium attulerit, quae e remota, quae e proxima antiquitate ad orationis ornatum selegerit, curiose inquiritur. Vae porro illi, si in veterum, & recentium Auctorum libris citandis indiligens deprehendatur, aut oscitans, ac pene dormiens videatur gravissima historicorum scripta percurrisse; concidit statim

tim fides , neque desunt Momi , qui nasum extemplo corrugent , totumque opus procaci sanna divexent . Quæ calamitas ne contingat , diligentissime providendum est oratori , citraque omnem animi cupiditatem , integre , sincereque , quicquid aliunde , sive ab historicis , sive a poetis , sive a philosophis depromitur , perlustrandum ; neque hic consistat , sed ultra velim progrediatur , indagetque præterea , quid de hujusmodi scriptoribus eruditissima ingenia sentiant ; quodnam judicium ferant . In quo tamen cautio maxima adhibenda est , quod non promiscue omnibus , neque nominis celebritate præclaris , sed iis tantummodo credendum , qui puro litterariæ rei illustrandæ studio, non privata alia de caussa ad criticam exercendam impelluntur . Sit ne vero facile hosce incorruptos judices reperire , omni affectione vacuos , & vere * ἀπαθεῖς *, ut Græci vocant , alienum judicium esto : tam multa siquidem in*

* Affectibus carentes.

ipsa oratione de Criticorum varia natura occurrunt dicenda, ut satis superque sint, quæ ad tuum præparandum, Lector, animum, ac benevolentiam demerendam præmittimus.



ORA-

Digitized by Google

ORATIO SEXTA.

Neque claris Scriptoribus, neque eorum Criticis habenda fides omnis.



I pulcherrimarum doctores artium, qui florentem ætatem perpetuis laboribus attrivere, ut exquisita ingenii, doctrinæque suæ monimenta in ævum omne producerent, quam sibi unice cordi fuisse dictitant, re etiam ipsa veritatem semper complecterentur; meo me satis defunctum munere existimarem, qui adolescentes nostros anno præterito commonueram, ut in immensa eruditionis copia ad eloquentiæ ornamentum e puris fontibus derivan-

Digitized by Google

da, certis ſeſe terminis continerent. Verum, quoniam egregii viri, ut in optimis excolendis diſciplinis conati poſtrema fuerint, non de ſua polliceri tantum virtute potuerunt, ut non in devia aliquando, ac prærupta incauti delaberentur; non exiguum me pretium operæ facturum puto, ſi de altera litteraturæ parte, quæ eruditionis fida veluti comes eſt, aberrantemque in recta compellit, de Critica hodierna die diſputavero. Video equidem, qui tam anceps ſibi negotium tractandum ſumit, in eum locum adduci, ut ſi communi fere omnium conſenſu ſcriptores celebratiſſimos in diſcrimen vocet, deque eorum pervagata fama paulum decutiat, audacis notam non effugiat apud eos potiſſimum, qui omnia in magnis Auctoribus admirantur: ſin maculas, quibus aurea etiam præcellentium ingeniorum ſcripta conſperſa ſunt, de induſtria diſſimulet, ac ſilentio prætereat, ſuis videatur præ

iner-

inertia partibus defuisse. Attamen; ita me ament Superi, ac salvum velint, quid de toto hoc litterarum genere ipse sentiam, atque, ut verius dicam, quid homines sentiant cordatissimi, adeo integre exponere in animo est, ut quæ singulorum industriæ propria censetur merces, laudem debitam tribuamus; & quam in præsenti censoris personam suscipio, cum minima aliorum offensa tuear. Duo enim mihi, quemadmodum anno superiore fecimus, esse hodie præstanda intelligo, quorum alterum cujusque generis scriptores, alterum ipsos Scriptorum judices proxime attingit. Examinanda primum sunt oratori, quæ litteris tum philosophi, tum historici prodidere; ut quæ prava, & fuco illita reperiuntur, tamquam orationis sanitatem contaminantia lenocinia, rejiciat; quæ doctrinæ bonitatem sapiunt, ut saluberrima dictionis condimenta, ad scribendum traducat. Quo-

niam

niam verò Critici suam illam virgulam promiscue in omnes expedire solent, seque, volentibus sanos a vitiosis secernere, ductores certissimos profitentur; non est nobis ita facile committendum, ut ad horum sequenda judicia temere, & inconsulto feramur. Quemadmodum enim, quæ humanæ naturæ imbecillitas est, vel acutissimi præceptores artium interdum hallucinantur, neque tam affabre dolatum opus in lucem proferre possunt, in quod nævus aliquis non irrepserit; ita non minus peccare graviter in judicando arbitror, qui ad eorum vitia castiganda oculos animumque convertunt. Non est igitur magnis nominibus tantum tribuendum, ut dispiciendis, cognoscendisque propius utrorumque scriptis, judiciisque nullus oratori reliquus locus sit; imo tanto intendenda acrius acies, quanto hinc virtutibus commixta vitia securius latent, earumque splendido obtecta vultu, pro

vir-

virtutibus sæpissime venditantur; illinc præstantium virorum auctoritas facilius famæ claritate simplices, & improvidos fallit.

Gravius fortasse, quam ampla dicendi provincia ferat, oratori videbor onus imponere, qui præter eruditionem e probatissimis Auctoribus colligendam, criticum quoque studium adjiciam, mole sua prope infinitum, multoque magis, rei tractatione lubrica, exercenti periculosum. At qui molestam, ac difficilem aliena investigandi, excutiendique attentius curam non probant, si serio reputent secum ipsi, neminem ex antiquis, & recentioribus ad absolutam facundiæ laudem pervenire potuisse, qui non artem criticam ad quodlibet scientiæ genus percurrendum adhibuerit, non dubito quin recte nobiscum sentiant, tamque necessariam judicandi disciplinam dicenti putent, quam longum, & arduum iter suscipienti, necesse est

pro-

probum ſibi ducem adjungere, qui inter multiplices, ac tortuoſas vias doceat, qua tuto eundum ſit, moneatque ſuſpecta loca, unde timeri inſidiæ ſolent. Neque vero aliam fuiſſe cauſſam exiſtimo, cur clariſſimi viri a recta ſæpe ſemita aberrarint, inque erroris ſui ſocietatem alios etiam adduxerint, niſi quod vel negligentes nimium, vel nimium creduli, nullo ante rerum certo delectu habito, omnia ad dicendum traduxerint, quæ ſibi majores olim tradidere. Quod ſi antequam operi perficiundo extremas admoverent manus, æqua lance expendiſſent, quæ a philoſophis, poetis, hiſtoricis ad ipſos pervenere, & citra cujuſvis amorem, & odium, illorum ſcripta, opinioneſque maturius examinaſſent; & propius ad veritatem accederet eorum dictio, neque ipſi apud Criticos, ut quotidie contingit, de prudentia, ac diligentia ſua dimicarent. Atque inter ceteros fontes, unde omnium libera-

lium

lium disciplinarum hausti quasi latices, ad eloquentiam uberiore alveo propagandam deducti sunt, principem Graecis, ac Latinis locum tribuendum esse, nemo inficias iverit, qui veterum exempla sibi ponens ante oculos, statim intelligat, quanta utrinque in reliquos populos eruditio, & aemulandi similia ardor, redundarit. Et Graeci quidem, quos, ut Chaldaeos, Ægyptios, aliosque longe remotos praetereamus, proximos nobis omnis litteraturae auctores lubenter fatemur, ingenii, solique quadam peculiari ubertate, pacisque, & otii diuturni bono usi, tantum ad Musas & severas, & laetiores perpoliendas industriae contulerunt, ut nihil amplius eorum addi solertiae, superessundenti sese tamen, & exuberanti undique veluti torrenti, videantur demi multa posse. Sive enim nationis indoles ita tulerit, ut iis non contenta, quae ab aliis acceperat, non pauca etiam ipsa inveniret; sive

se

ſe melius poſſe in legentium animos obrepere ſuſpicaretur, ſi varias identidem illecebras ſcribendo immiſceret; ſive demum aliunde deſumſerit obvia quælibet ſine diſcrimine; eorum certe libri tot paſſim mendaciis aſperſi ſunt, ut non immerito Græcia & omnigenæ eruditionis, & fabularum, quotquot unquam extitere, mater a multis appelletur. Non vereor apud prudentiſſimos Auditores, ne paulo audacior videar, & in dicendo inſolentior, qui elegantiæ, & humanitatis communem parentem tam male initio accipiam; cui debemus præcipua doctrinæ ornamenta, & gratum, quoad vita ſuppetet, animum profitebimur: neque enim hic M. Tullium, T. Livium, Plinium majorem, Valerium Maximum teſtes appello, latinos homines, & gloriæ æmulatione jure ſuſpectos; Græcos ipſos, Pauſaniam, Strabonem, Diodorum Siculum teſtor, penes quos nulla ſuos calumniandi cauſſa

eſſe

esse potuit, qui non uno, aut altero; sed pluribus affirmant locis, se inania, & vulgi sermonibus protrita scribere; universas autem Græcorum historias tam frequentibus inquinari fallaciis, ut major a nonnullis Hesiodo, & Homero, qui fabulosos musarum montes conscendunt, quam Ctesiæ, Herodoto, & Hellanico, qui historicum decurrunt pulverem, habeatur fides. Quot enim, & quanta Herodotus, qui a Tullio tamen historiæ pater vocitatur, quot inquam, & quanta commenta ubique nobis obtrudit; unde non poeticæ solum, sed romanenses etiam fabellæ per omnes propemodum terras mirifice disseminatæ sunt? Non quæro cum Scaligero, num elegantissimus ceteroquin Scriptor, ea bonitate fuerit, qui, quæ in lucem ediderit, crediderit etiam omnia; num Ægyptii, quorum prodigia ad legentis satietatem identidem narrat, ut peregrino, eorumque strophuarum non sa-

tis

tis perito illuserint; num denique nationis vitio laborarit: idem enim Scaliger epistolas omnes, quæ philosophis Democrito, Soloni, Pittaco Mitylenæo a Diogene Laertio in eorum vitis tribuuntur, a græcis confictas esse opinatur, quibus nunquam mentiendi neque facultas, neque voluntas defuit: hoc enim si concedimus, jam nihil ferme est in Græcia, quod, ut verum sincerumque, sit recipiendum: sed sapientissimus, credo, Criticus monitos nos esse voluit, non esse temere ad eos convolandum, qui ingentia, & fumosa nomina præ se ferunt; sed diligentissime investigandum, num sibi semper consentiant; num loca locis, tempora temporibus æque conveniant; num historiographi moribus, institutis, personis congrua, & opportuna recenseant; num plus quam oporteat, laudis, dignitatis, & gratiæ suis popularibus largiantur. Quod assentandi vitium, aut a

Græ-

Græcis, quod verosimilius est, aut ab aliis primo profectum, ad reliquas deinde gentes celerrime propagatum, tam altas radices egit, ut omnem historiæ candorem (luctuosum veritatis magistræ fatum) pene infuscarit. Da enim mihi historicum tam integrum, tam fidelem, tam purum, quem non favor, non invidia, non timor potentum, non ingentes conceptæ spes, a vero abduxerint; da qui aliena facta sine ullo fuco referat, qui patriæ suæ eam gloriam tribuat, quam, non dicam hostes, sed sui sine invidia, aut verecundia ferre possint. Nemo ferme est, qui bellica virtute præstantem ducem commendaturus, medium inter Herculem, & Achillem statim non collocet; nemo contra, qui fœda alterius flagitia improbaturus, infra extrema nequitiæ monstra non ablegat. Nihil hic dico de Philostrato, qui Apollonii Thyanæi miracula tam magnificis verbis extulit, ut eorum ma-

gnitudine deceptus Caracalla, ad perpetuam viri memoriam heroicum ei monumentum erexerit; nihil de Xenophonte, qui Cyrum regem talem legentibus exhibet, qualem esse fortasse oportuit, non qualis revera fuerit. Hos, eorumque similes ad fabulatores proxime accedentes, consultò praetereo. Mihi sit instar omnium Plutarchus a doctrina, & sapientia apprime instructus, in publicis, privatisque negotiis ita versatus, ut ad aliorum res gestas excutiendas severus magis judex, quam narrator diligens videatur. Ubi enim scriptor eximius graecos imperatores graecis comparat; neque fide, neque scriptione usquam nutat. Ubi autem Graecorum procerum cum Romanis comparationem instituit, & utri utris militari, & civili scientia antecelluerint, inquirit, Plutarchum in Plutarcho desidero. Habuit enim Graecia domi forisque principes spectatissimos, qui summis in utraque fortuna

exer-

exercendis virtutibus, omnium in se admirationem converterunt. Sed quid est aliud, Aristidem Catoni, Lysandrum Syllæ, Marcello Pelopidam, Agesilaum Pompejo, quam pumilios, ut Bodini verbis utamur, gigantibus anteferre? Deficiat mihi profecto dies, si, non dicam singula, sed universa velim vitia dicendo percurrere, in quæ bene multi non ex historicis solum, sed e poetis etiam, quibus tamen semper licuit tentare, & fingere aliquid præter naturæ ordinem, inconsulto inciderunt. Nullæ igitur, inquiet aliquis, in latinis scriptoribus labes sunt, maculæ nullæ, ut fas propterea sit in Latium omne tuto inferre pedem, omnemque eruditionem, ut sartam tectamque semper habitam, ad oratorum opportunitates impavide convertere. Delirare merito videar, si hæc sentiam, aut pronuntiem, qui optime noverim, eam humanarum rerum esse conditionem, ut nemo unus reperiri

possit, qui fuerit virtutibus omnibus absolutus. Quis enim e latinis poetis, ut alios prætereamus, ad Homeri gloriam propius accessit, & plurima ab illo desumpta fonte, fecit digerendo meliora? quis, inquam, Virgilio Marone verbis concinnior, rerum delectu callidior, in effingendis, subjiciendisque certaminibus politior idem, & parcior? Atqui non satis ille Romanæ sobolis dignitati visus est apte consulere, cujus conditorem Dares Phrygius, Dictys Cretensis, Menecrates Sanctius apud Dionysium Halicarnassensem Trojam prodidisse ferunt: neque poetam ab hac labe purgant Smyrnæi, Triphiodori, Livii, Philostrati testimonia, qui Ilii incensi caussas omnino contrarias libris suis persequuntur. Quis enim in rei tanti momenti origine repetenda, qualis Roma est, futura aliquando omnium terrarum domina, & splendidissimam Cæsaris Augusti complexura familiam, cujus immortali nomini

uni-

unice serviebatur; quis, inquam, etsi maxime gratificari cupiat, suumque palpare principem, sibi in Cœlum efferendum virum seligat, famæ apud historicos suspicione laborantem? Nimirum vel viri perspicacissimi fabricæ struendæ intentiores, aut ingenio suo liberius indulgentes, aut ad adulandum nimium compositi, aut immenso cedentes oneri, aliquando elanguere; quod si Vopisco teste, vix unum historicum licet nobis producere, qui falsitatis non arguatur, palamque ostendere possumus, in quo Livius, Sallustius, Cornelius Tacitus, Trogus, manifestis testibus convincantur: quid de philosophis sentiendum est, solutioribus hominibus, & ad pugnandum maxime factis, quorum variæ, & inter se discrepantes opiniones, infinitas pene familias, neque sibi consentientes peperere? Quoties enim M. Tullius Theophrasti, Platonis, Aristotelis doctrinam lau-

dat, ac ne latum quidem unguem ab eorum vestigiis sibi esse discedendum putat? quoties tamen idem, mutata repente facie, in eos stilum convertit, quos modo philosophiæ antesignanos secutus fuerat, neque dubitat eorum apertam inconstantiam, levitatemque in libris de Legibus, de Natura Deorum, de Divinatione, redarguere? Quare incredibili perspicacia opus est, ut veraces a mendacibus, futiles a solidis, instabiles a constantibus distinguas; quod ubi feceris, alterum illud restat diligentissime animadvertendum, ut qui de historicis, philosophis, poetis judicium ferunt, eorumque placita, narrationes, & fabulas ex instituto expendunt, tibi gravi suo supercilio, & quadam nominis præoccupata fama, censores non imponant.

Queruntur quotidie homines, eo jam licentiæ Criticam provectam esse, ut nisi frenos quam citissime injicias, nihil in tota re litteraria integrum ab

ejus, manibus relinquatur: curiosissimam scriptorum circumspectatricem, cum suis illis oculis emissitiis, quaeritare anxie, ubi licet, ubi non licet, ansam ad reprehendendum; nullum personarum; nullum antiquitatis, auctoritatis nullum amplius discrimen facere; rigidam, acerbam, morosam, promiscue omnes, dignos, indignos ad superbum tribunal trahere: ibi tuentem torva, flagello armatam, aceto plenam, rimari minutissime dicta, & sensa singula, ultimosque Auctorum recessus pervadere; in peccantes, aut peccare creditos, immisericordem prorsus esse, inexorabilemque; & quod nullo modo ferendum sit, immortales viros, quos endo Coelo, ut ille inquit, olim merita locavere, illinc audacter deripere, & scutica ad arbitrium caesos, cerdonibus exponere irridendos; huic demere laureae insignia, quae per tot annos adhaeserant innocuo capiti, & ad historiographos rejicere; il-
 lum

lum ex oratorum albo expungere, & ad clamosos amandare rabulas; neminem unum ad quæstionem arreptum dimittere, cui non aliquam censoriam notam inurat. Quid autem iniquius, ajunt, quam dirimendæ litis eundem ipsum sedere judicem, qui ad accusandum accessit; qui crimen, unde unde potest, intentat; qui alienam existimationem, vera, falsa opponendo, conatur imminuere, immo penitus deterere? Non possunt non infida esse, non tristia, non contumeliosa judicia, quæ ab exulcerato corde feruntur: quæ mera carpendi libido, quæ livor, & odium, quæ reliquæ pestes animi, malesanæ, nigræque cupiditates, fas omne, si irritentur, perrumpere paratissimæ præcurrunt. Hæc, & his multo plura vociferantur, qui sibi, suisque imminentem Criticorum ferulam reformidant; neque concoquere ullo pacto possunt, otiosissimos fere homines, & ad objurgandum solummodo

na-

natos, per omnes disciplinas tam impotenter grassari, ut legitimos veterum libros pro libidine extrudant; supponant adulterinos; notent, vertant, invertant, atque adeo pervertant omnia: quid plura? tanquam supremi litterarum arbitri de cujusque ingenio, de facultate, ac, si Diis placet, de fortuna etiam decernant. Sane si amarulenta ægre ferunt convicia, quibus scatent Zoili nonnulli, Momique dicaces, qui de tabula non ante manum tollunt, quam quæ scribentibus objiciunt, atra lolligine perfricuerint; jure istorum licentiam damnant, moremque improbum exe-crantur. Ceterum si ad commune litterarum bonum, lumenque omnibus studiosis afferendum, divinitus excogitatam artem incusant, & quasi litteratis quid ominosum ac triste, tolli de medio cupiunt; næ illi volentes lubentesque cæcutiunt, & inepto, ne reprehendantur, timore perculsi, & si-

ſibi , & ceteris irreparabile malum creant . Eſt enim majoribus noſtris , qui ad eloquentiæ faſtigium, aſperum, ac ſenticoſum iter, per arcta, & intentata animoſe vadendo , nobis primi explanarunt , ſempiterna utique gratia profitenda ; & quod multorum annorum ſeries , doctiſſimorum judicum , ac gentium plurimarum conſenſio recepit , per me ratum firmumque habendum ; ſed nimis hercle boni ſumus , ſi in vitiis , quæ vel negligentia , vel inſcitia Antiquis excidere , non conniveamus ſolum , verum etiam veluti pretioſiſſimas verendæ ætatis reliquias, religioſiſſime amplectamur. Fuit quondam , fuit, cum rudes homines, aut nimium ſimplices, ſola dicentium opinione ducti, in eorum jurarent verba, ac tanquam oraculi reſponſa, quæ publice, aut privatim docerent, ultro acciperent , ac revererentur : immo quanto immaniora invehebantur mendacia , tanto avidius arriperent, parati

ti

ti non a faba tantum, sed ab hordeo, & cicere, si magistro ita videretur, abstinere. Non ad exactam, quæ monumentis litterarum traderentur, trutinam tunc revocabant; quæ rumor, crebrique sermones in vulgus spargerent, non ad lydium lapidem exigebant: si mures in æde Jovis aurum corrosissent; si bos in foro boario in tertiam contignationem sua sponte ascendisset; si pulli gallinacei cum ternis pedibus nati essent; portentum arbitrabantur, ne solemni quidem hecatombe averruncandum, nisi historiæ statim consignarent. Excussere tam supinam simplicitatem posteriora secula, eoque præcipue intenta, ut lynceum ubique oculum circumferrent, neque rumusculis, & vetustati tantum tribuerent, ut nullus inquirendæ veritati locus esset; innumera, eaque oppido enormia, quæ a primis sapientiæ parentibus, ut certa veri principia, admittebantur, anilia demum partim

ter-

terriculamenta, partim puris putis oppleta inaniis commenta, detexere. Quorum studium, ac sedulitatem imitati deinde alii, vix dici potest, quantum amænioribus gravioribusque disciplinis per hasce indagines emolumenti importarint. Atque utinam disceptandi facultas penes doctos tantum, deque publica utilitate sollicitos semper constitisset, neque ad leves etiam, ac trioboli homunciones devenisset; melius multo cum litteris, earumque amatoribus ageretur, neque tam crebræ invidiæ flammæ in innoxiam artem succenderentur. Quanta enim rerum experientia, quanto ingenio, quanto mentis acumine præditus sis oportet, ut opus tam lubricum, tam salebrosum, tot undique periculis plenum, si non rara cum laude, cum minima saltem invidia exerceas? quot poetas, historicos, philosophos, quot eorum censores evolvas, mature expendas, inter se omnium, ac singulo-

lorum opinationes conferas necesse est, ut veram, certamque sententiam, nullo tribuno plebis intercedente, pronunties? Est ne ita facile reperire, qui scriptorum sensus semper assequantur; qui eundem semper scopum attingant; neque a recto unquam itinere, in avia, aut spinosa rapiantur? Fac tamen reperias; quid si supercilium censorium extulere, ut majoribus contradicerent, ut solertiam suam in aliorum laboribus ponderandis ostentarent; ut nova, neque ab aliis animadversa, objicere viderentur? Eos ne tanti facias, ut eorum judicio statim acquiescas, neque sollicite explores, num aliquando ad tempus ascita vafritie nimis bonos decipiant, num aliquando ipsi temere decipiantur? His adde praeoccupatas opiniones, quas una cum lacte combibere; adde studium partium, quo impulsi plerique, non quae sunt optima, sed quae sibi probantur, aut probari volunt, obfirmato pro-

pu-

pugnant animo; adde privatas inimicitias, domesticum & quotidianum malum, quæ semper effecere, ut quos antea in oculis ferebamus, vel si aureum facundiæ flumen effunderent, occlusis ad omnem suavitatem auribus, fastidiremus. Nam gentis, patriæ, sanguinis rationem, quis ignorat eo usque in hominum animis valuisse, ut non privati modo, sed publicæ etiam Academiæ, si quis e suis de parta semel laude apud alienigenas disceptaret, quasi classico signo dato, ad arma simul ruerent, & infandos interdum tumultus, interdum etiam ridendos commoverent? Ego equidem, si quemadmodum in forensibus negotiis fieri solet, ut perorata utrinque caussa, tum demum universa rei summa integro, peritoque judici decernenda subjiciatur, ita in litterariis contingeret certaminibus; ultro auctor essem, ut quæ passim circumferuntur judicia, tanquam legitima, & incorrupta exci-

pe-

perentur. At cum litterarum ea fere conditio sit, ut doctissimorum scripta eorum subeant oculos, qui æstuantium cupiditatum impetu rapti, defendentium, vel accusantium personam induunt; eo maxime nomine Criticos suspectos esse contendo, quod Auctoribus præter jus fasque vel addicti, vel infensi, arguant non arguenda, & quæ nullo modo defendi possunt, neque debent, impudenter aliquando defendant. Agite dum grande illud in utraque fortuna humanæ prudentiæ exemplum apud Homerum Ulyssem inspicere, & poetæ in decoro servando curam, & Censorum in vate protegendo calliditatem, excutere tantisper liceat. Ab Alcinoo Phæacensium rege, a quo benigne exceptus hospitio fuerat Ulysses, donis tandem onustus dimittitur, & in patriam remigraturus, solvit e littore. Faustis ominibus feratur navis, quæ talem tantamque sapientiam vehit. Sed illum repente lon-

go, credo, defessum itinere, tam altus somnus occupat, ut ne ad Ithacæ quidem portum appulsus excitetur. Quid igitur navi catique remiges? Supra hoc genus hominum providi, urbanique, Ulyssem e navi leniter efferunt, mollique cum lino, culcita, ac muneribus in arena deponunt, jamque Phæaciam repetituri relinquunt; *toto proflantem pectore somnum*. Perpol pulcherrimum factum, ac posterorum memoria dignum! Siccine eximium virtute virum, perhonorifice ab rege cultum, singulari benevolentiæ significatione ab eo perornatum, tanquam vilissimum mancipium deserere, ac solum, dormientemque certissimæ prædonum avaritiæ objicere? Ulyssem vero, quem mihi, Mæonide, prudentissimum ubique prædicas, tamdiu, tam difficili navigatione securum quiescere, neque e veterno, sibi alias, sociisque nimis funesto, inter rudentum, ac navigantium strido-

rem

rem, expergiſci potuiſſe ? Ecce autem pro Homero accurrit Criticorum delecta cohors, qui dubitandi omnem illico tibi ſcrupulum eximunt, ac divinum hocce inaudito ſpectaculo poetæ conſilium aperiunt. Puduit, inquit Euſtathius, Phæacenſes puduit, vectorem munificum expergefacere, ne nauli mercedem exigere viderentur. Modeſti ſcilicet hujuſmodi homines ſunt, & ſi quid ſubolet lucellum, manus temperatiſſimas continent. At reponit Spondanus, ſi officii perſolvendi gratia nautæ humaniſſimi domum uſque Ulyſſem proſecuti eſſent, procos ulciſcendi opportunitatem ei a domeſticis ſtatim cognito ademiſſent; quaſi vero nulla alia ratio callido Laertiadi ſuppeteret, qua luxuriantem turbam everteret, ſuoſque e dira illa nebulonum colluvie in libertatem priſtinam vindicaret. Sed hæ germanæ gerræ, & ſolemnia delirantium ſomnia. Quid ergo medicinæ efficacioris Maz-

zonius, Viperanus, Canterus excogitant, ut ſanent hæc cruda vulnera? Illi vero a tropis, ab allegoriis, a figuris auxilium petunt, ultima Interpretum confugia; quæ ſi admittimus, nullum amplius tam male affectum opus eſt, quod præſentiſſimo hoc medicamine non curetur. Atqui ſi Benii, & Caſtelvetri pronuntient, multo altius Ulyſſe, Homerum ipſum, cum talia fingeret, dormitaſſe, *clament periiſſe pudorem cuncti pene patres*, qui ejus antiquitatem, claritatemque nominis venerati, ſibi jam perſuaſerint, poetarum principem potuiſſe labi nunquam; quin etiam ſummæ prudentiæ Ulyſſis aſcribant, quod, ut molliſſimæ gentis inſerviat ingenio, minime dubitet verſare naturam ſuam, ſeque cum Phæacenſibus ad multam crapulam vino madefacere; quod in aulam Regis ingreſſus, ut ſe Alcinoo commendet, fateatur palam, ab imis unguibus ad ſupremum uſque verticem

ſe

se ex fraudibus, mendaciisque constare totum. Intelligitis, vel me tacente, Auditores, quam absona proferre Critici ad incitas redacti cogantur; ut non ita facile sit statuere, Homerus ne, qui fuerit interdum absurda commentus, an culpandi magis interpretes, qui ineptias omnes profligata fronte propugnant. Neque hæc cum oppono, ita me poetæ infensum aliquis velim putet, ut, quemadmodum Joseph Scaliger, Ludovicus de la Cerda, Guilielmus Modicius instituerunt, ei in omnibus Virgilium anteponam. Eximiæ in Homero virtutes sunt, æternisque laudibus prædicandæ, *sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus*; sed condonanda vitia, non portenta sunt, neque omnia ad Homerum, tanquam ad normam, sed & ipsum ad normam revocandum esse, Censores optimi judicarunt. Quare ut, unde est orsa, in eodem terminetur oratio; neque magnis scriptoribus, ne-

que eorum Criticis tantum a nobis deferendum est, ut ad eruditionem comparandam omnia promiscue ab omnibus colligamus; sed diligentissime animadvertendum, qui bona, qui sana, qui prava contra, & non sincera contineant; ut nunquam in alienis opibus depromendis a recto tramite discedamus; sequamurque Criticos, qui integritate, ac prudentia, meroque veritatis detegendæ amore, non odio, non invidia, non partium studio ad judicandum rapiuntur; paucis complector omnia, hos præstantissimos doctrinæ, & eruditionis Cultores imitemur, quorum curæ, cogitationesque in id intenduntur, ut ipsi quidem immortali fama digna moliantur quotidie; alios autem eosdem spiritus, & sensa nutrientes, pro ea, qua sunt morum elegantia, & humanitate, non cessent & acutissimis stimulis, & exemplo suo ad ingentia cohortari.

ORA-

ORATIO
SEPTIMA
IN FUNERE
JOANNIS FRANCISCI
CARDINALIS BARBADICI
Epiſcopi Patavini.



Uctuoſiſſimam totius Patavinæ Eccleſiæ calamitatem, quam proxime elapſis menſibus taciti, conſternatique horrebamus, ſi Præſulem nobis optimum funeſtus aliquis, qui jam jam imminebat, caſus eripuiſſet; ecce nunc publico ſqualore, ac ſordibus obſiti, cogimur nec opinato ſingultu, ac gemitu miſerari. Pro acerbus dolor,

Digitized by Google

pro fatum triste, pro dira præteritorum temporum recordatio! Ita ne vero Episcopum amantissimum, cujus optabili nuper aspectu, ubi, receptis e periculosa ægrotatione viribus, in hanc primum lucem celebritatemque processit, singuli & universi recreati sumus, cui sospiti jam, ut videbatur, & incolumi, firmam constantemque ad multos annos valetudinem a superis comprecabamur; nunc improviso dejectum quasi turbine, jacentem, exanimem intueri? Ergo ne Joannes Francisce Cardinalis, splendidum Barbadicæ, atque adeo Venetæ sapientiæ decus, solidum hujusce Civitatis columen, ac solatium; in quo Pastore vigilantissimo omnes Patavini gregis spes tutissime conquiescebant; tam subito nostris te oculis subtraxisti, ut de tuo prius interitu, quam de periculo, aures nostras fatalis nuntius percelleret? Affulserat, priore depulso metu, lacrymisque detersis, sollicitis

tis hominum frontibus hilarior ſerenitas, ſpeſque animos noſtros certa ceperat, fore, ut cujus incomparabilem in ſuos liberos charitatem, incredibilem in bonos omnes humanitatem experti eramus, earum rerum fructus uberrimos per ipſum in poſterum colligeremus: neque fieri unquam poſſe quiſquam putavit, ut effuſa illa civium lætitia, ſinceræ omnium ordinum gratulationes, quas privatorum benevolentia, & verus virtutis amor in Principem ampliſſimum expreſſerat, uno repente ictu evaneſcerent, & geſtientis modo populi voces importunus mœror ac fletus, lugubreſque lamentationes contaminarent. Mihi vero, cui ſolemnis proludendi ſtudiis noſtris propior aderat dies, quid expectandum minus fuit, quam ut mutata extemplo rerum facie, quem Muſarum noſtrarum eximium Auſpicem, ac Patronum, judicemque cujuſque indolis & induſtriæ æquiſſimum

toties senseramus, ei repentino morbo sublato, indictis publice exequiis, oratione parentarem? Quod sane mœstum officium, quandoquidem persolvendum est, non modo non detrecto, sed æquo lubentique etiam animo suscipio, ut quam vivo semper, ac florenti observantiam, & venerationem summam professi fuimus, extincto nunc, quo demum cunque pacto, quibusque verbis possumus, testatam omnibus exhibeamus. Ea enim Cardinalis Barbadici vitæ ratio & cursus fuit, sive illum in Pastorali munere, sive in edita Principis Romanæ Curiæ dignitate spectamus, ut maximas, minimasque virtutes miro quodam modo complexus, in sui admirationem, laudationemque sapientes homines, & primi subsellii oratores sæpe ac sæpius pertraxerit. Ego tamen non tantum mihi tribuo, ut omnes ejus dotes, quæque egregias dotes pari ubique passu exæquarunt, præclarissima ejus

fa-

facta ornare me elucubrata dictione posse confidam. Quæ perturbati pectoris dolor, quæ filii in parentem pietas, quæ defuncti desiderium tam turbido miseroque tempore decora objecit, breviter, simpliciterque percurram, & communem ex hac ingenti jactura luctum, præcipuarum laudum commemoratione, lenire conabor.

Si in tam amplo excellentium virtutum veluti campo nulla mihi ad absolutissimam tanti Præsulis commendationem seges alia suppeteret, nisi admirabilis, sibique perpetuo consentiens trium Episcopatuum gubernatio, quibus triginta & amplius annos peculiari fide, integritate, & cura Barbadicus præfuit; hoc satis superque, nisi fallor, laudum grande præconium foret, & ad Joannis Francisci memoriam in omnes posteros propagandam momentum inter cetera validissimum. Tres enim subinde Ecclesias, Urbium amplitudine insignes, multi-

plici

plici regimine vastas, ingenio, & moribus longe dispares, ea tamen dexteritate, ac prudentia administrare, malisque, si qua forte ad intercipiendam quietem erumperent, præsenti ita ope mederi, ut non modo nullius offendas animum, nullius pectus exasperes, sed omnium in te oculos, ac benevolentiam præ gaudio percepti inde fructus convertas; hominis est, divina quadam præditi mente, & a natura, & a doctrina supra mortalium conditionem felicissime instituti. Non deerant illi quidem, si ad secularia intenderet animum, rara fortitudinis, sapientiæ, justitiæ domi forisque majorum exempla, quibus masculam virtutem sese pulcre in florentissima ætate efferentem magis accenderet, & in præclaro statim lumine, acerrimus avitæ gloriæ æmulator, & hæres, collocaret. Sed ille excelsa immortalis Reipublicæ munera, a Deo Optimo Maximo vocatus alio, suis civibus reliquit

quit obeunda, qui ad civilium negotiorum procurationem pridem admotus, quantum reipsa valeret, perspicue ostendit, cum Sapiens Continentis delectus; neque multo post ad Ludovicum quartum decimum Galliarum Regem Orator designatus est; quæ legatio gravissima, quantum ei splendorem, ac nominis claritatem paritura esset, optime intelligit, qui potentissimi illius Regis ingenium perspicacissimum, & ad quamlibet indolem excutiendam solertissimum non ignorat. Veruntamen alias cogitationes, ac sensa indiderant, præter patriam disciplinam, ejus proprius quidam pudor, qui eminebat in ore, moresque mitissimi, quibus, posthabitis profanis honoribus, ad pietatem, ac religionem naturali instinctu ferebatur. Itaque clericali militiæ ascriptus, vix Divi Marci Ædis Primocerius renunciatur, cum defuncto Petro Leonio, Veronæ Episcopo, ab

In-

Innocentio Duodecimo huic regendæ Ecclesiæ præficitur. Noverat enim summus Pontifex, ex qua familia ortus, & a quibus parentibus educatus esset Joannes Franciscus; quamque propterea sedulum, quam navum, & impigrum deligeret Præsulem, qui oves sibi concreditas cœlestis sapientiæ nutrire pabulo, & si quæ a recta honestatis semita aberrarent, suo verbo, & exemplo in viam statim revocare satageret. Neque conceptam spem fefellit exitus. Quæ enim in Episcopo animarum saluti procurandæ omnino addicto deposcitur virtus, quæ non in illo cum immenso populorum bono elucceret? Ardens ad Clerum juxta sacrorum Canonum, & provincialium Constitutionum regulam efformandum sedulitas; prompta ad idoneos Ministros dignoscendos sagacitas; ne qua vitia in insontem gregem irrepant, aut si quando irrepserint, ut opportuno remedio extirpentur, mirifica vigi-

gi-

gilantia; ad rudes agrestesque homines edocendos commoda litterarum cognitio, non inani verborum pompa, neque nimio acumine odiosa; ut paucis colligamus omnia, providentia, industria, ad quælibet abrupta, & in ipsis difficultatibus consilium expeditum, intelligendi, agendique celeritas, de principatu certarunt. Ipse iccirco, ut accuratissime Episcopi munere fungeretur, velle audire omnes, qui Ecclesiæ nomen darent; diligenter interrogare singulos, eorum ingenium acri examine pertentare, neque ad majores ordinum gradus quemlibet admittere, nisi ante perspecta vitæ probitas, & humanarum disciplinarum scientia petentem commendaret. Ut autem facilius, ac citius, quæ designabat, perficeret, ut universæ Diœceseos saluti inserviret, cujus rei caussa intelligebat se in Domini sortem vocatum, quibus unquam laboribus sudoribusque pepercit? Vos

in-

inter ceteras appello testes, quæ Præsulem quondam vestrum in asperrimis illis jugis impavido, & alacri vultu vidistis, Camunia, Trumplia, Sebina Valles, ac tota Brixiana regio, vos montani tractus ad Rhætiæ usque fines protensi, vos, inquam, appello testes; ex tam confragosa, ac prope impervia expeditione vos, vel me tacente, testari potestis, quam curti Episcopo somni, quam frugales parcæque mensæ, quam ad multam sæpe noctem protracti labores fuerint, ut vicos, & paræcias inspiceret omnes, sacras ædes inviseret, ac sacella singula suismet oculis intueretur. Atque hæc omnia ab illo non florentissima quidem ætate, sed ad senium jam properante, non lætissimo anni tempore, sed fere incommodo, & ad hyemem vergente effecta sunt; neque imbres tamen effusi, non præcipiti torrentes cursu, non turbines sævi, non feræ tempestates a proposito unquam dimoverunt.

Nos

Nos nos ipſi vidimus, cum primum Patavinæ Eccleſiæ clavum ſuſcepit, huc omnes cogitationes, curaſque ſuas contuliſſe, ut longe lateque patentem diœceſim ſtatim perluſtraret, longinqua itinera, ac magis ſalebroſa aggrederetur, populoſque, quanto propiores Alpibus, tanto duriores habitos, non tam præſentia ſua recrearet, quam optimis inſtitutis erudiret. O caritatem vere patriam in omnium utilitatem ſine ullo prorſus diſcrimine diffuſam, o incredibilem Paſtoris ſollicitudinem, o providentiam admirandam omnibus, at nulla unquam ſatis digna oratione efferendam! Quis enim illud excelſum opus, quod cæptum ab eo feliciter, meliores ſemper progreſſus ſortitum eſt, quis inquam, divinum opus merita ſatis eloquentia celebrare poſſit, cum delectos litteratura, prudentia, & vitæ innocentia præcellentes viros, per pagos, per caſtella, per urbes Apoſtolico plane

ne more jussit excurrere, qui verbi divini semen ubique spargerent, frugesque copiosissimas, vix jacto grano, colligerent? Incredibile dictu est, quanto inde lætior virtutum messis succreverit, & agrum Ecclesiæ, alibi sterilescentem, alibi otiosum, alibi incultum mirifice fecundarit. Quot enim e vitiorum cæno, quibus miserrime volutabantur, educti, in libertatem Christiano homine dignam vindicati sunt? Quot e pinguioris ignorantiæ tenebris, quibus pene sepulti jacebant, revocati, purissimam tandem fidei lucem aspexere? Hinc fervidior, qui alicubi elanguerat, Christianæ pietatis amor; hinc sacramentorum, quæ in desuetudinem prope apud nonnullos homines abierant, frequentior usus; hinc injecto metu sempiternarum rerum, quæ sontes, & obstinatos manent, compressa, si qua fuerat, licentia, moresque populorum visi castigatiores. Huic nimirum

egre-

egregio operi accepta beneficia referunt egentes ac mendici, qui a ditioribus reſipiſcentibus adjuvantur; huic ab omni fortuna deſtitutæ virgines, quæ præſidio præter ſpem confirmatæ, Chriſto Domino nomen profitentur; huic viduæ, huic pupilli advenientia unde unde alimenta debent: nullum demum hominum genus eſt, nulla conditio, ordo nullus, qui non ſaluberrima inde emolumenta reportarit. Quid enim aliud ſacri illi a civili ſocietate receſſus, ubi, abjecto omni humanarum rerum ſtudio, uni immortalis Numinis meditationi vacarent, inque perennis felicitatis pulchritudine animos defigerent, qui illuc ingrediebantur; quid, inquam, ſacri illi receſſus efficiebant aliud, niſi ut collapſa vitia penitus everterentur, & cœpta ubique vitæ ſanctioris norma perpetuo efflorеſceret? Hujus rei cauſſa & commodæ, & magnificæ ædes conſtructæ, nitida, & munda comparata ſupel-

 lex;

lex; omnia, quæ elegantiam simul, ac modestiam spirarent, præcipua solertia elaborata, quo facilius lectissimus quisque, & honestissimus, unde recte vivendi regulam reliqua plebes desumere solet, ad hæc sanctitatis domicilia convenirent, & ad pietatem excolendam mutuo alloquio, & jugi prece vehementius inflammarentur. Hæc porro omnia cum per se partim, partim per alios strenue Barbadicus ageret, & ex Episcopi munere; nolitote cogitare, Auditores, ceteras interea virtutes, quæ amplissimum Principem decent, aut neglectas, aut infructuosas in eo consenuisse. Didicerat ille, quid se dignum esset, dignum suis, dignum loco, quem obtinebat, ac propterea omittebat nihil, quod cum Præsulis amplitudine apte copularetur, eamque redderet augustiorem. Vera profero, & omnibus nota. Nihil in Joanne Francisco Cardinali vulgare fuit, nihil commune, nihil obvium;

gran-

grandia omnia, exaggerata, ſublimia; cogitationes, & animi ſenſa dignitati paria; facta vero, quæ inchoata molimina ubique æquarent. Ejus ſummam magnificentiam Veronæ, Brixiæ, Patavii non uno in loco amplæ erectæ domus loquuntur, Seminaria ante anguſta, ac ſemiruta, magnis refecta ſumtibus, & in nobiliorem formam amplificata; ſacrarum Virginum Cœnobia, inſolito liberalitatis exemplo a ſolo educta, annuiſque reditibus aucta; quod vero in hoc Principe ſingulare merito putes, plurima prius pene efficiebat, quam moliretur, neque quicquam agitabat animo, quod non eximium eſſet, & in ſuæ Eccleſiæ commodum redundaret. Silentio hic prætereo, quæ enumerari tamen non ſine prolixa laude deberent, Divi Zenonis Veronæ Epiſcopi doctiſſima ſcripta, ab Auguſtino Valerio antea in lucem edita, ac prope deperdita, quæ Barbadicus committi typis

iterum justit, & evulgari nobilius ; præterreo Divi Gaudentii litterarum monumenta, ejus cura, & impensa ad eruditorum utilitatem ab oblivione vindicata, & annotationibus illustrata novis ; nihil de Ecclesiastica Veronensis Episcopatus historia dico, quam brevi methodo voluit exarari. At invidus jure habeatur, & heroicæ virtutis inimicus, siquis silentio prætereat infinitam auri argentique vim ad Venerabilis Viri Gregorii Barbadici, Patrui sui, cultum promovendum, liberalissime profusam ; Episcopos ad quæstiones de more exercendas perhumaniter ab eo accitos ; pluribus in locis uno eodemque tempore acceptos splendidissime, omnique munificentiæ genere ornatos ; neque hos modo, sed nobilissimum quemque, & litterarum, & sapientiæ fama præstantem, laute semper habitum, ac magnifice. Quam porro certum sublimis animi specimen præbuit, cum Mariam Casimiram,
in-

invictissimi Joannis Tertii Poloniæ Regis viduam, in Æde Cathedrali Veronæ excepit? Quæ humanissimi Episcopi devincta officiis, nunquam postea destitit aureos ejus mores, ingeniique suavitatem perhonorifice commemorare. Quam insigne moderationis, & humilitatis Christianæ testimonium dedit? cum Carolo Augustino Fabrono, tunc Prælato domestico, paulo post inter purpuratos Proceres ascripto, moranti forte Veronæ, hortantique Barbadicum, ut in vacuam Brixiæ Episcopalem sedem designari se pateretur, (offerri enim sacram purpuram, opimam mercedem proponi annuenti) obstitit constantia plane mirabili, & instanti rursus obluctatus acrius est; nullo modo posse se a suorum, quos amaret enixe, a quibus se suavissime amari intelligeret, sinu divelli; hac vero conditione nolle, quam in sponsam dulcissimam accepisset, Ecclesiam pristinam derelinquere; nolle carissima

pignora deserere; neque prius permoveri se sivit, quam supremi Patris ita jubentis auctoritas intervenit. O invictum pectus, o modestiam æternis laudibus prædicandam, quam non ostri fulgor potuit perstringere, neque quæ plurimorum obtundunt aciem, excelsæ dignitatis ornamenta tantillum flectere! In hæc sensa a puero educatum, & corroborata ætate, eadem nutrientem, mirabimur probatum fuisse Pontificibus, qui honorem tantum deinde non sine summæ in eum voluntatis testimonio detulerunt? mirabimur earum civitatum, quibus præfectus est, sua humanitate amorem ita sibi conciliasse, ut ejus desiderium semper ægre laturæ sint? Sed quid ego aliena quæro, ubi domestica nostros ob oculos obversantur? Vos supra ceteros Patavini Cives ejus facilitatem candoremque animi luculenter perspexistis, quos omni existimationis significatione complexus est, & præcipuo beneficiorum

pi-

pignore obſtrinxit. Ad illum nemo veſtrum, ne ex infimis quidem, unquam adivit, quem extemplo non admitteret, benigne alloqueretur, tractaret familiariter, dimitteret officioſe; nemo adverſa ſorte jactatus, quem blandis Epiſcopi verbis non ſolaretur; nemo afflictus ac perculſus, quem patria ope non erigeret, & in ſpem melioris fortunæ non excitaret. Hæ nimirum noſtri Antiſtitis, & ampliſſimi Principis fuere virtutes: paſtoralis muneris partes tranquillo ſemper & hilari obire vultu; nullis neque itinerum, neque tempeſtatum minis cedere; non horrida montium cacumina, non perplexos vallium anfractus pertimeſcere; non æſtu, non frigore, non vigiliis, non ceteris incommodis concuti, ut gregi ſuæ fidei poteſtatique concredito, ſedulo provideret. Ejus vigilantiam, ſollicitudinem, religionis ardorem vos præſertim teſtamini, *Nobiles, ac Reverendiſſimi Patres*, qui ei honore, & volun-

 tate

tate proximi fuiſtis; vos, etſi reliqui ſileant, docere poteſtis omnes, quam veſtri ordinis, famæ, dignitatis amans fuerit, quam inſolita vos benevolentia devinxerit, nullumque prætermiſerit officii genus, quod peculiarem erga vos caritatem oſtenderet. Tametſi univerſa Civitas e ſuis prope ſedibus ad hæc parentalia celebranda excita, ſatis ſuperque teſtatur ſqualore, & luctu inuſitato, quam carus ſuis liberis Pater fuerit, quam ad oves ſuas cuſtodiendas Paſtor impiger, quam erga cives omnes humanus Epiſcopus; cujus jacturam quanto moleſtius ferunt, tanto evidentiore mœſtitiæ argumento declarant, ac voce prope ipſa profitentur, nullum fore tempus, quo Joannis Franciſci Cardinalis Barbadici nomen grata recordatione non colant, ejuſque memoriam ſeris Nepotibus non commendent.

Habita eſt in Æde Cathedrali Tertio Kalend. Februarii. Anno MDCCXXX.

ORA-

ORATIO
OCTAVA
IN FUNERE
FRANCISCI DOLEONII CANONICI PATAVINI,
Vicarii Generalis Georgii Cardinalis Cornelii.



Uantus ex acerbissimo viri genere, virtute, ac dignitate præclari, Francisci Doleonii nuper defuncti casu, universam hanc civitatem perculerit dolor, recentes adhuc in amantissimorum oculis lacrymæ, squalor inusitatus, ac luctus, significationesque mœroris penitus ex corde profectæ declarant. Satis

tis etiam declaravit altum illud, ac triste silentium, quo attoniti, ac defixi nosmetipsi invicem contuentes, jacturamque tantam collacrymantes, per hosce dies ita torpuimus, ut nihil præter gemitus ac singultus emitteremus. Doluere omnes, doluere singuli, cujusque ordinis, & fortunæ homines doluere, virum optimum, & humanissimum, eo præsertim loco positum, unde melius diffunderet virtutem suam, media & ætate, & rerum pulcherrimarum gloria, nec opinato e vivis ereptum. Vehementer vero vos, Illustrissimi, ac Religiosissimi Patres, insignis vestri ordinis decus nobile extinctum mœruistis. Sed summus supra ceteros dolor attigit Principem Eminentissimum, cui & officio, & voluntate supra ceteros proximus semper fuit, cum uno, eodemque tempore de se, de Ecclesia Patavina optime meritum Vicarium, multiplex obeuntem egregie munus, repen-
tina

tina morbi vi quasi e sinu suo cerneret divulsum esse. Cum tot tamque justæ confluerent dolendi caussæ, ita omnium auctus est dolor, ita sensus obstupefacti, ut vocem testari dolorem conantem suum, obrueret prope immensa tristitiæ vis, nec nisi egesto aliqua parte mœrore, respirare nos, & verba proferre pateretur. Ecce igitur dolore aliquantulum relevato, qui privatim, & tacite exedit corda, nunc demum luctus erumpit, seque publice funebri pompa, & oratione testatur. In qua quidem communi caussa præclare nobiscum agitur, quibus præter ceteros ei multum debentibus, hæc difficilis alioquin, & mediocribus fugienda hominibus, demandata est dicendi provincia. Recordamur enim, nec sine dolore recordamur, quam hilari semper vultu nos ad eum aliquid petituros accedentes exciperet, quam singulari studio complecteretur, quam large beneficiis cumularet; ob-

ver-

verſatur ante oculos admirabilis patientia, qua ſuperiore menſe noſtrarum litterarum exercitationibus interfuit, adfuitque ea humanitate, ut totum pene abſentis Patris deſiderium expleret. Illud poſtremum accedit, quod cum illo nemo Principi noſtro conjunctior fuerit, cujus juſſa, qua decet obſervantia reveremur, cujus auſpiciis ſtant potiſſimum, ac vigent ſtudia noſtra, merito a nobis extremum hoc pietatis officium, qualecumque tandem futurum ſit, indictis exequiis, expoſcit. Me itaque in hac virium mearum tenuitate, in hiſce temporis conceſſi anguſtiis, breviter de tanto viro dicentem benigne audite, reputantes non hic eloquentiæ, ſed doloris partes a nobis eſſe ſuſceptas.

Majorum eximia facinora, domeſtica ſpectatæ virtutis exempla ad avitas laudes imitandas, ad ingentia ſuſcipienda poſteros vehementiſſime inflam-

flammare, hic ipse, quem laudamus; maxime ostendit, qui prima statim ætate ad seria, ad altissima animum, cogitationesque convertit. Etsi enim non his acutissimis stimulis Franciscus indigebat, recta satis per se tendens ad gloriam; sibi tamen quotidie ante oculos proponebat familiæ suæ insignes bello, & pace viros, non quos ambitio fingere plerumque solet, aut ex fabulis petere, sed quos annales Bellunenses illustribus monumentis ad virtutis, & gloriæ propagationem posteris tradiderunt. Quam pulchre majorum facta æmularetur, quantam sui spem, & expectationem juventutis in ipso flore excitaret, subsecutæ dignitates comprobarunt. Postquam enim Venetiis iis disciplinis animum imbuit, quibus adolescentes nobilissimi ad humanitatem informantur, meliore domi magistro, Ubaldo Doleonio, patruo suo, probatæ famæ Jureconsulto; usus est, ut illa præsertim scientia, quæ ci-

civilis societatis una salus est, & privatorum ornamentum, Jurisprudentia erudiretur. Hac avidissime arrepta, statim honoribus accipiendis maturus, Judex Prætorius Veronam mittitur; in qua urbe incredibile dictu est, quantum viris optimis probatus fuerit, quam integre, & incorrupte commissum sibi munus obierit. Ante quam caussas vel minimas disceptaturus assideret, divinam enixe implorabat opem, supplexque Deum precabatur, ut se talem erga ceteros Judicem præbere posset, qualem esset illum erga se aliquando habiturus. Hinc trepidare, & summo perfundi metu, ut ipse coram familiaribus sæpissime fassus est, quoties sententiam laturus esset, magnopere veritus, ne cum alios a scelere liberaret, ipse novo aliquo crimine obstringeretur. Videlicet, quæ exquisitæ doctrinæ, quæ integritatis, & fidei jure dicundo serebat semina, eo consilio & mente sevisse

videtur, ut nos hic maturis suo tempore, & uberrimis, maximo Principis Eminentissimi beneficio, perfruemur. Et sane hæc pietatis Christianæ sensa, hæc perfectæ cumulatæque virtutis opera, quo magis clarescerent; quo seges inde utilior colligeretur, in meliore lumine erant collocanda. Forte accidit, immo cœlesti Numine factum est, ut cum ille Bergomi audiendis caussis moraretur, periculosissimo oppressus morbo, & in extremum vitæ discrimen adductus, destinaret alia animo, seque totum, si ægrotatione levaretur, foro, & judiciis abdicatis, Ecclesiæ voveret. Audiit Pater summus postulata, atque ille pristina recepta valetudine, quæ nuncupavit vota, statim persolvit. Clericali militiæ vix est ascriptus, vix Presbyterali charactere insignitus, cum ab Eminentissimo Principe, qui ut virtutem amat unice, ita unice ornat, vir fama, multoque magis integerri-
mis

mis moribus notus, in nobilissimum, ac celeberrimum Canonicorum Collegium summo cum omnium bonorum gaudio est aggregatus. Viderat Cardinalis prudentissimus, & hominum æstimator acerrimus, qualem quantumque virum elegisset; optime noverat ingenii, & animi rarissima ornamenta, & quanti faceret, quam carum haberet, mox docuit, cum eum amplissima Vicarii Generalis dignitate jam tum, cum Patavium vocavit, designatum, postmodum decoravit. Hic vero quæ bonitatis, quæ sapientiæ opinio, quæ fama integritatis Francisco accessit? Ab eo Principe deligebatur, qui in gravissimis negotiis versatus, qui multis peragratis urbibus, obitisque legationibus maximis, usu, & experientia didicerat ad ingentia pondera sustinenda non esse, nisi peritissimos rerum gerendarum viros advocandos. Porro Patavinæ Ecclesiæ, ac tam vastæ, tam inclytæ,
tam

Digitized by Google

tam eruditæ Diœcceſeos præfici gubernationi, quantum ſit, conſiderate. Non eſt locus hic mediocribus, non indoctis, & rudibus, quibus facili negotio imponere, inque mentes fucato quodam virtutis colore ſubrepere per inſidias, & hominum errorem fortaſſe poſſis. Verſandum quotidie cum cordatis hominibus, colloquendum cum ſagacibus, agendum cum Canonici juris, & ſcientiarum laude præſtantiſſimis, qui te penitus rimentur, dicta notent, facta perpendant, qui nihil præteriri ſinant, quod diſpliceat; qui, ſi quid ipſe pecces, ſi quid ab aliis, te imprudente, peccetur, non taceant, non conniveant, ſed publice dicant, & conſtanter opponant. In hac tamen luce Franciſcus decennio ita vixit, ita omnium judicio eſt probatus, ut quod ab eo homines deſiderarent, admodum nihil, quæ commendarent, plurima, & præclariſſima haberent. Atque ut regiminis tam felicis recorda-

P tio

tio perpetuo hæreret animis, neque ullo unquam tempore obliteraretur, ipsa propemodum fortuna cum ejus virtute certare visa est, cúm per tot annos quasi secundo auræ flatu Ecclesiasticæ res fluxerunt, ac tanta felicitate progressæ sunt, ut nullæ unquam procellæ prosperum cursum morarentur. Tametsi nullum hic sibi jure vendicat fortuna locum. Quot enim fuere, qui Reipublicæ moderandæ præpositi, quam nacti fuerant tranquillitatem, & florentem imperii statum, quæ felicia tempora deprehenderant, aut socordia, aut regendi imperitia, aut ipsa nimia felicitate in deteriora verterunt, & non sine aliorum detrimento concussere? Qui igitur traditum sibi ab aliis Reipublicæ gubernaculum sapienter tractat, qui pacem jam vigentem conservat, nonne majore laude dignus est, quam qui turbas, & seditiones componit? Ne quid unquam adversi Ecclesiæ contingeret, ne

ne ſua culpa pernicioſi mores inducerentur, diligentiſſime laborabat; aderat quocumque vocaretur, præſto erat omnibus, curabat omnia, nunquam multiplici cura perterritus, aut ullo modo feſſus, idem qui fuit ſemper, par ſibi, par commiſſæ ſibi dignitati. Neque prætermittendam mihi puto moderationem illam, quam perpetuo retinuit, æquum illum, ac temperatum animum in re nulla felici exuberantem. Videbat ſe placere Principi Sapientiſſimo, ea probari, quæ agebat, & publice etiam ſæpiſſime commendari. Ille tamen adeo non ſe extulit, de ſe ſuperbe non ſenſit, infra ſe poſitos neglexit, aut ſprevit, ut nemo illo modeſtior eſſet. Hinc ita faciles ad eum privatorum aditus erant, ut qui dignitate ceteris excellebat, facilitate par infimis videretur. Nemo fuit, qui quæ ab illo peteret, non impetraret, aut ſi quis forte fuit, qui peteret, & obtinere non poſſet, haud iniquo ta-

men animo ab eo discedebat. Ita enim præsentem difficultatem excusabat; adeo solerter alias profitebatur operam suam, adeo benigne ferentem repulsam dimittebat, ut se magis ille tam dulci officio, tantaque affabilitate obstrictum, quam si voti compos rediret, ingenue fateretur. Jam privata illa, ejusque propria, morum suavitas, lepos sermonis, concinnitas, urbanitas, quantam auctoritatem, & gratiam homini ad omnem elegantiam exculto compararunt? Verum quæ misera est, & caduca humanæ vitæ conditio, in medio constantis ætatis cursu; dum ejus humanitate perfruimur, dum alia subinde, & alia ab eo nobis pollicemur; ecce illum repente vehementissimus morbus occupavit, itaque præcordiis insedit, ut extremum sibi adesse diem, frustra adhiberi remedia, cognoverit. Nota dico, & audita. Visenti medico ægrotantem die tertio, & de more post exploratas ægritudinis caussas nuncian-

cian-

cianti, ſeptimo die bene habiturum: Ita nimirum, reſpondit; His enim corporis vinculis exſolutus animus, ad patriam, & libertatem evolabit. Sive quod gravitatem morbi ingruentis, ac ſenſim vires deterentis ægroti ſentiunt, ſive quod in extremo, & horrendo illo vitæ exitu vis intelligentiæ elucet magis, ſive quod ad morbi lethalis curſum, finemque perſpiciendum valeret in eo major quædam, quam in ceteris, lux mentis, & rationis, ſeu potius quod abjecta jam rerum præſentium etiam florentiſſimarum cura, immortalia, quæ ſpectabat unice, præſentiret, utcumque fuerit, imminentem mortem divinavit. Nec vero minus ſecuro animo, conſtantique accepit certum jam mortis nuntium. Quod ſane in homine ea ætate, eo gloriæ curſu, ſatis mirari non poſſum. Nam, ſi quis ſenio confectus, exhauſtis viribus, ubi ſatis naturæ, ſatis gloriæ vixit, morti proximus, minus commovea-

tur,

tur, id quidem minime mirum videri possit. At florentem ætate virum, qui sentiat se mori, sibi incepta cum laude multa, sibi spes ingentes, sibi gratiam Summi Principis, sibi aspectum, cultumque nobilissimæ civitatis, omnia sibi uno tempore præcidi videat, hujusmodi non cadere animis, non angi, non perturbari, incredibilis profecto, & prope divinæ virtutis est. Videbat ille se a suavissimo fratre, a carissimis fratris filiis avelli, se collegas sui studiosissimos, se amicos dulcissimos amittere; nec dubitabat jacturam tantam siccis oculis intueri. Quod si quis doloris sensus surrepens constantiam mentis tentare audebat; ea statim Christiano homine digna cogitatione repellebat, sic placere superis, sic visum summo vitæ, mortisque arbitro, omnino non esse divinæ voluntati obluctandum. Hac armatus constantia, omnibus insuper Ecclesiæ Sacramentis munitus, jam deficien-

te

te ſpiritu , pias preces ab ore Sacerdotis excipiens , quaque poterat ſubſecutus voce , ſe ipſe Deo commendans : abrumpit poſtrema verba gemitus , nec me longius procedere patitur acerbiſſimi caſus mœſtiſſima ſpecies renovata . Iterum cernere mihi videor ad funeſtiſſimi nuncii rumores primos totam ingemiſcere Civitatem , audire omnes de omnibus benemeriti viri vicem condolentes . Iterum obverſatur oculis Cardinalis noſtri amantiſſimi ad triſte nuncium ſibi erepti tam cari capitis dolor inuſitatus , fletus , ac lamentatio . Quamquam hæc ſedes ipſa , vacua auguſto Seſſore ſuo , non præteriti ſolum , ſed etiam præſentis mœroris ejus imaginem objicit luctuoſam . Eadem videlicet vis doloris, quæ viſere , & alloqui in lectulo jacentem , quamvis maxime cuperet , non eſt paſſa , ab ejus quoque celebrando funere invitiſſimum abſtrahit. Gratulare enim vero tibi , o jam cœle-

leſtibus recepte ſedibus, de nobis, de Principe noſtro, de Eccleſia Patavina, Benemerite, gratulare præcipuam hanc tanti Principis, non dicam benevolentiam, ſed caritatem. Luctum ejus ingentem, ne hoc tenui apparatu, ne laudatoris tenuitate metiare. Funus ille tuum triſtiſſimo doloris ſenſu, quandiu vitam producet, tandiu producet; tuas vero laudes a me obſcuratas magis, quam illuſtratas, & ipſe dum vivet, celebrare non deſinet, & famæ tradet in perpetuum celebrandas.

Habita eſt in Templo Seminarii Patavini. viii. Kal. Jun. 1716. die ſeptimo ab ejus obitu.



Digitized by Google

DE
VITA ET STUDIIS
JACOBI JACOBETTI

In Gymnasio Patavino Moralis Philosophiæ Professoris.

EPISTOLA AD AMICUM.



Siccine, inquis, præclarissimum illud solidæ eruditionis lumen, ille, qui nobis unicus supererat, Græcæ litteraturæ parens ac decus, Gymnasio Patavino, atque adeo Musis omnibus Jacobus Jacobettus ereptus est? Et cujus lugubrem obitum, si ad ultimam vixisset senectutem, im-

Digitized by Google

maturum ſemper litteris putaremus, hunc firmis adhuc viribus, & vegetiore ſpiritu in erudiendis publice, privatimque omnibus ad miraculum uſque deſudantem, nobis repente fata abſtulere? Ah parce tandem, Amice dulciſſime, hiſce vocibus lacrymarum mœroriſque plenis; ſatis enim ſuperque intellexi ex litteris tuis, ad nuntium tam triſte te graviter ingemuiſſe, & continuo inclamaſſe:

*Κρῆναι, καὶ ποταμοί, καὶ ἄλσεα, καὶ λαλαγεῦντες
Ὄρνιθες λιγυροὶ καλὸν ἐπ' ἀκρεμόνων
Κλαύσατε.

Jure enimvero tu, & e grati animi ſenſu. Quid enim magis, quam Heliconium collem, quam ſacra Muſarum nemora, fonteſque perennes ad illius mortem complorandam evocare oportet, cui Græcia omnis, cui Home-

* *Fontes, & fluvii, & nemora, & canentes*
Volucres ſuaviter, & belle in virgultis
Lugete. D. Greg. Nazianz. Epigr. 28.

meri, Pindari, Æſchyli, ac totum illud ſapientum Poetarum agmen ſemper in deliciis fuere? aut qui alii potius doctiſſimi viri interitum, quam nos lugeamus, quos ille diſcipulos quondam ſuos, in familiaritatem deinde admiſſos ultimam (abſit verbo invidia) præcipua quadam, ac ſingulari benevolentia complectebatur, & qua erat incredibili humanitate, commendatione etiam rerum noſtrarum frequenti, de proſpero fortunæ eventu nos ſperare bene jubebat? Utinam mihi limatus is ſtylus eſſet, qualis in illo fuit; haberes pauciſſimis ejus vitæ rationem omnem, quam ad communem dolorem ſolandum efflagitas per epiſtolas. Tametſi ille, qui ſæpe ac ſæpius ingenium ſuum, ac vim dicendi ad pulcherrima aliorum facta laudibus efferenda libentiſſime contulit, nullo modo, ſi viveret, pateretur de ſe dici, qui ab omni fuco, ab omni etiam juſta gloriæ cupiditate

ſemper alienus, maluit laudanda facere, quam ab ullo laudari; qui perpetuis laboribus, ac vigiliis eo contendit, ut latina græcaque lingua eſſet erudiſſimus, non ut talis videretur vulgo, atque ita ſuorum, aut alienigenarum inuſitato aliquo præconio clareſceret. Sed hæc ipſa animi moderatio, quanto in homine litterato rarior, tanto laudabilior, ſatis ingens Jacobetti præconium eſt, quæ attingenda eſt iccirco nobis, non ſolum ut erga Præceptorem amantiſſimum mentem memorem publice profiteamur; ſed ut omnes intelligant, tanto magis per poſteros ejus nomen diſſeminatum iri, quanto minus eum cœcus amor ſui, & inſana *Φιλαυτία pupugit perſtrinxitque. Sed de ejus vita, de fortuna, de litterariis muneribus, quibus in Seminario Patavino, in Treſtenſi Collegio tunc florente, functus eſt, roganti, vel qui amici fuerant, vel qui etiam ſtudiorum ſo-

* *Amor ſui.*

focii ætate illa, nihil illi mihi, quod peculiare esset, & expectationem fortasse impleret tuam: omnes uno ore affirmare, Jacobettum procul a negotiis vitalem vitam, ut cecinit ille, in medio semper litterarum sinu vixisse; inter libros diu noctuque versatum; in his virides annos, in his postremos consumsisse: hos appellare filiolos suos, deosculari dulcissime solitum: ab his nullis unquam incommodis, nullis rerum vicibus potuisse divelli. An non satis hoc tibi ad hominem commendandum, sive humanitatis professorem, sive Præfectum studiorum spectes? Inexplebilem hanc nova semper addiscendi cupiditatem, prima pueritia sese mirabiliter efferentem promovit, auxitque Venerabilis Gregorius Cardinalis Barbadicus, cum adolescentuli ad se accersiti acrem indolem, vigoremque mentis conspicatus, jussit illico ascribi inter Alumnos Seminarii, quo non recipiebantur nisi

qui vultu ipſo, & inceſſu morum probitatem præſeferrent, & de ingenio ſuo ſpem maximam excitarent. Quantum ille profecerit inter tot ac tanta bonarum artium præſidia, quæ litteratiſſimus Epiſcopus ad quaslibet difficultates ſuperandas adoleſcentibus inſtruxerat, exitus ſtatim docuit. Vix enim expleto curſu earum diſciplinarum, quæ graviores dicuntur, delectus Præceptor cœpit illico humanas doctrinas edocere, quas tota deinde vita cum ingenti litterariæ reip. utilitate profeſſus eſt. In Rhetorico ludo varia excolendo ingenia, excellentia ita laudibus efferebat, ut tamen non inſoleſcerent; mediocria ita alienis exemplis excitabat, ut vires omnes effunderent; exilia humaniter hortabatur, ut alias cogitationes ſuſciperent; omnino illud, quod M. Antonius apud M. T. (a) de Oratore, cum de tyrone loquitur, qui forum ſpectat:

ſi in-

(a) *Lib. 2. cap. 20.*

si intelligam posse ad summos pervenire, non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam obsecrabo: sin videbitur, cum omnia summa fecerit, tamen ad mediocres oratores esse venturus, permittam ipsi quid velit; molestus magnopere non ero. Sin plane abhorrebit, & erit absurdus; ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. Præcipua tamen Jacobetti cura fuit, ut græcam linguam, & eruditionem probe ipse teneret, & aliis traderet, non neglectis interea latinis litteris, aut omissis. Meministi, quanta rerum reconditarum, quanta Auctorum gravissimorum copia declamationes ille suas illustraret, cum Demosthenem, Æschinem, Homerum nobis interpretaretur? quantus in eo esset, ut nos nihil fugeret, lateret nihil, quod ad absolutam illorum scriptorum possessionem pertineret? Hujus rei caussa Græcam grammaticam in meliorem formam redegit, demendo supervacanea,

addendo saluberrima; librum non exiguæ molis conscripsit, typisque mandavit, quem Calligraphiam appellavit, ubi ex infinitis prope textubus, quos affert ex Aristotele, Xenophonte, Isocrate, Thucydide, Plutarcho, aliisque Auctoribus ad varias verborum, & nominum significationes explicandas, satis licet conjicere, quantum ille græca calleret. Sed quid ego ajo, cum calluisse optime græca, & optime scivisse græce? Ita nitide, ita promte, ex improviso, si ferret occasio, græce loquebatur, ut non modo nostris hominibus, sed ipsis etiam græcis esset admirationi. Quapropter non multo post Romam profectus cum Vaira nuper designato Episcopo, & in conspectum Clementis Undecimi Pontificis Maximi a Laurentio Teupolo, tunc Legato Veneto adductus, suo ipse exemplo ostendit, quam verum esset effatum illud, * ὁ μὴ Ἕλλην

Βάρ-

* *Qui non Græcus, Barbarus.*

Βάρβαρος. Adeo enim solerter, sapienterque coram doctissimo Pontifice Jacobettus de humanis litteris, de linguis, de Seminarii Patavini ratione, de Typographia rogatus respondit, ut Beatissimus Pater ejus eruditionem maxime admiraretur, discedentemque innumeris Indulgentiis, qui nihil petierat aliud, cumularet. In Urbe commoratus per septem & amplius menses habuit, unde affatim expleret honestissimam cupiditatem, qua flagrant vere docti homines, suismet hauriendi oculis, quæ in celeberrimis Historicis Livio, Dionysio Halicarnasseo, aliisque olim legit, suisque Auditoribus interpretatus est. Inambulans enim quotidie solus, & quacunque liberet, incedens, sæpissime immota acie, & totus obtutu defixus in ipso, ut ipse testatus est postea, verenda illa antiquæ Romæ monumenta, Tarpejam rupem, Circum maximum, Capitolinum collem, Campum Martium,

Am-

Amphitheatra contemplabatur, & incredibilem prorsus voluptatem inde colligebat. Neque hæc solum obvia quidem cuilibet, non cuilibet tamen æque jucunda, sed secretiora etiam, & principibus solum viris, aut litteraturæ fama notis adeunda invisebat, commendatus a Præsulibus, a Laurentio Teupolo commendatus, qui cum ibi, ut ante diximus, maxima cum sua, & Venetæ Reipub. gloria splendido Legati munere fungeretur, mira quadam benevolentia Jacobum, qui a Georgio Cardinali Cornelio, Avunculo suo fieret plurimi, prosequebatur. Tantam in se Legati illius Sapientissimi humanitatem significavit ea epistola, quam Roma misit hisce verbis: *Ejus*, inquit, *benignitate fruor incredibili. Sæpe cum illo remotis arbitris, mensæ etiam splendidissimæ adhibitus, conquisitus, si qua dies prætereat, qua non adsim*. Magnopere autem optimam de se conceptam opinionem Jacobettus fovit, cum jussus di-

dicere de Vaira Antistite, de ejus vita, de doctrina ab iis, qui Episcoporum examini de more præsunt, ita prudenter, ac scite respondit, ut Præsules illi affirmarent, *non posse non propitia aliquando, & fausta tam litterato viro contingere*. Non inania fuere omina hæc. Nam ab Urbe reversus, cum sibi jam, & suis studiis, deposita Seminarii cura, viveret, paucis post annis Canonico Carlotto, probatissimo Viro, & Philosophiæ moralis in Gymnasio Patavino Professori, suffectus est. Hunc vere, candide Amice, dicas, non modo non ausum petere sedem hanc, sed ultro oblatam constantissime recusasse; non quod labores & incommoda nova detrectaret, quibus jam occalluerat, sed quod gravitatem muneris serio metitus, sese ei ferendo imparem reputabat. Diu reluctantem, tergiversantemque adegerunt, ut munificentissimo Principi, & de facultate ipsius sentienti recte pa-

re-

reret, Parmesanus a Curtivo de Sanctis, & Joannes Gratianus, hujusce Academiæ, ut nosti, eximia lumina, qui cum Jacobettum de se, de studiis suis meritum optime, diligerent etiam optime, annisi ope summa sunt, ut dignitatem tanto cum honore delatam acciperet. Accepit ille sapientibus hisce Auctoribus, neque minore fide, diligentia, & sedulitate susceptum peregit munus. Cum enim undeviginti annos Aristotelis ad Nicomachum libros simpliciter & erudite interpretaretur; mirabantur homines, qui fieret, ut hora præcipue pomeridiana, & nonnullis incommoda, ad eum tamen audiendum non juventus modo, sed eruditi bene multi sæpissime properarent. Quam sane provinciam cum ille tanta cum felicitate sustineret, de pristina tamen privatim docendi consuetudine non modo nihil remisit, sed etiam auxit. Adibant illum cives, peregrini, docti, indoctique passim; excipiebat ille

Digitized by Google

le omnes sereno vultu, & ad hilaritatem composito; suam omnibus navabat operam consilio, voce, scripto; neminem a se vacuum ac tristem dimittebat. Hoc vero in illo peculiare fuit, & admirandum, quod cum aliis oratiunculas lucubraret, dictaret aliis, aliis versiculos conderet (nam & versus scripsit, non hirtos, & squalidos, sed musis, & Apolline dignos) nihil tamen ejusmodi evulgavit, sed eorum, qui talia munuscula ab eo petierant, nomina semper suppressit; quippe qui nullo modo ferre posset ardeliones quosdam, qui siquid aliorum caussa facerent, jactabundi statim, & gloriosi ubique gentium propagarent. Hinc suavissime irridebat lividos, & obliquis semper oculis aliorum progressus aspicientes, recinens sæpissime nobis, quod extat apud M. T. Philippica x. *neminem alterius, qui suæ consideret, virtuti invidere*. Ceterum multa scripsit, præfationes, epistolas, carmina, quæ omnia

spe-

ſperare juvat ſtrenui adoleſcentis opera viſura quamprimum lucem. Orationes, quas habuit publice in Seminario, cum ibi Præfecti Studiorum perſonam gereret, nonnullas in ſcriniolo aſſervabat, oratus multa prece, ut rerum ſuarum ſuſciperet curam aliquam; ſed illæ repente evanuerunt ex oculis, & alio avolarunt. Suſpicantur aliqui, verſipelles quoſdam homines in capſulam irrepſiſſe, & plurimam lautæ ſupellectilis partem ſuffuratos, in rem deinde ſuam convertiſſe, ut alienis ita opibus ſeſe pulcherrimos plebeculæ rudi venditarent. De probis hominibus non auſim hoc dicere; tametſi hoc uſitatum eſt. Jam ſtylus ejus preſſus fuit, & conciſus, plenus acuminis, plenus ſucci, gravitatis plenus, & quem paucis contigit imitari. Sermo gravis idem, & feſtivus, & multo ſæpe ſale conditus. Mores omnino ad honeſtatem, pietatemque catholicam caſtigati. Victus ejus ſimplex, ſed mundus:
con-

contentus sorte sua, *μισάργυρος vere, minime *φιλάργυρος, Horatianum illud sæpe usurpabat:

Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, ut mihi vivam,
Quod superest ævi, si quid superesse volunt Di.
Sit bona librorum, & provisæ frugis in ævum
Copia, ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ. (a)

In media civium societate vixit, quoad potuit, carus omnibus, expetitus ab omnibus; at ubi in effœto corpore vires elanguerunt, præsente tamen semper spiritu, & acie mentis vivida, abstinuit publico; sed ejus domum permulti officii caussa, plerique discendi gratia frequentarunt. Rogatus a viro apprime docto, cur tandem in græcæ linguæ rudimentis tradendis tantopere desudaret, tantisque laboribus in juventute

* *Pecuniæ inimicus.* * *Cupidus pecuniæ.*
(a) *Horat. Epist. lib. 1. Epist. 18. v. 107.*

tute instruenda sese frangeret, non alia de caussa se id facere affirmabat, nisi ut ejus litteraturæ cognitio jam ad paucos redacta, ad aliquos saltem manaret; neque enim, ajebat, * τὸ μέγα εὖ, ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα. Quid quæris amplius? Vir erat eruditissimus, & modestissimus:

* ἀνὴρ περιώσια εἰδώς,
ὃς δὴ μηκίστων πραπίδων ἐκτήσατο πλοῦτον.

Hæc fere habui, quæ tibi de Jacobetto breviter scriberem, & tumultuarie; nam ejus merita non epistolam poscunt, sed orationem; & præla nos urgent. Cura valetudinem tuam, æstusque fervorem librorum lectione mitiga.

Patavio. VII. Idus Sextil.



* *Non quod magnum, bene, sed quod bene, magnum.*
* *Vir qui pulcherrima norat,*
Et qui divitias mentis congesserat amplas.

Digitized by Google

05652582

Digitized by Google


MC